Quam quidem hiſtoriam *Sozomenus l.5.c.1.* præcipuè proſecutus eſt, judicium quoque prodens, quod circa prodigii illius ſignificationem à pleriſque tum factum eſt; aſſerens Julianum ipſum, eoſque, qui illum comitabantur, dixiſſe, uvas haud maturas intempeſtivè apparentes, aliquid boni portendere; ſignum autem crucis, quod quælibet roris gutta in veſtibus ipſius, ac militum ſuorum effinxerat, caſu, ac fortuitò accidiſſe, Cæteros verò, qui ab ipſo Imperatore religione, & doctrina diſcrepabant, cenſuiſſe, oſtentorum alterum ſignificare, Imperatorem immaturo ætatis tempore non ſecus, ac immaturas uvas periturum, & imperium ejus ad exiguum tempus duraturum: alterum verò indicare, religionem Chriſtianam cœleſtem eſſe, & omnes crucis figura ſignari oportere. Neque certè, inquit Sozomenus, ut videtur, à veritate aberravere: nam temporis progreſſio, utrumque verè dictum fuiſſe demonſtravit. Hanc autem ipſam hiſtoriam pariter *Nicephorus lib.10.c.2.* Sozomenum ſecutus, ad poſterorum memoriam literis commendavit.

Vitrum.

B ☞ *Ubi vide Loca Mineralium, in Argumento de Loco.*
Illius divinatio. ☞ *Ex loco de Divinatione.*
Vitrarii. ☞ *Quære Mechanici opifices ſecundùm materiam operis conſiderati §. Vitrarii.*

Vituperium.

☞ *Nonnulla in Loco de Reprehenſione. Calumnia, &c.*

Vivarium.

☞ *Vide Locum de Prodigalitate. Item Sumptus facti.*
☞ *Item ex Loco de Mechanica. Tit. Mechan. operæ circa animalium & Locorum eorundem curam.*

Ulcera.

☞ *Quære Locum de Actibus Corporis.*

Ultio.

C ☞ *Vide Vindicta.*

Definitio, & Etymologia.

Ultio idem eſt, quod vindicta, unde & ad eundem locum pertinet. Atque definitur redditio mali pœnalis pro culpa: vel propulſatio injuriæ, aut violentiæ, quomodo etiam defenſionem, & punitionem ſub ſe complectitur. Multa de vindicta à nobis tradita ſunt loco particulari, quæ ad præſentem non ineptè reduci poſſunt.

☞ *Conſule etiam Loca de Severitate, & Crudelitate, & Juſtitia in puniendo.*

ULTIO ASTUTA.

RATIONE HABITA OFFENSÆ, quam ulciſcitur. Putà.

Cædis.

D Cùm Alboinus Longobardorum rex Veronæ in convivio exhilaratus uxori porrexiſſet poculum è Cunimundi ſoceri capite fabrefactum, ut cum patre biberet: Roſimunda dolore correpta, Peredeum virum fortiſſimum multis pollicitationibus in viri cædem allicere nititur. Quod cùm aſſequi non poſſet, artibus eum circumvenit, Peredeus veſtiariam reginæ noctu adire ſolebat Regina ſe in lecto Peredeo ſupponit. Mox ubi ſe patefecit: Peredee (inquit) aut te Alboinum interficere, aut ab eo te interfici opus eſt, regalem quando thorum inceſtaſti: ni parueris, paternamque mortem ultus fueris, te adulterii poſtulatum, dira morte ſcito moriturum. Ille timore perculſus, ſe regem interfecturum pollicetur, eumque meridiantem, ope Elmichi conjurationis auctoris adortus obtruncavit. *Bonfin. l.8. Dec.1.*

Livorum regis filius Bicco Jarmericum Danorum regem, à quo olim fratribus ſpoliatus fuerat, acceſſit, & ab eo benignè habitus, arcanorum omnium arbiter evaſit. Hunc ut ſuis per omnia monitis parere ſenſit, ad ſcelera, flagitiaque committenda compulit, præcipuè adversùm ſanguine junctos. Ejuſdem ſuaſu rex Sclavorum rebellantium duces, trajectis fune tibiis, equis in diverſa raptantibus præbuit lacerandos. Alio item tempore optimates eorum primò tibias loris trajectos, & taurorum cruribus alligatos, moloſſis inceſſentibus raptim in cœnum, voragineſque pertractos abſumpſit, E Broderum regis filium falſo crimine inceſtus cum noverca inſimulatum, ſuſpendio necandum curavit. Suavildam novercam calcibus equorum protrivit: mox Helleſpontios fratres ad Suavildæ ſororis vocem indignam ulciſcendam impulit, à quibus Jarmericus in arce munitiſſima obſeſſus, ea tandem occupata, artubus detruncatis periit. *Saxo lib.8.*

Frovini Ducis Sleſvicenſis ab Atislo II. Svecorum rege cæſi filii duo Keto, & Vigo, in Sveciam profecti, profugarum ſpecie, inter milites admittuntur, & à Rege interrogantur, an meminiſſent pugnæ ſuperioris anni, quando duo congreſſi de vita certaſſent? Meminiſſe fatentur, ducemque ſuum tum proſtratum ab illo, qui rex gentis ferebatur. Hęc, inquit, dextera protrivit virum alioqui fortiſſimum. Quærit deindè, Filioſne ſuperſtites haberet dux ille? Reliquiſſe ajunt geminos, proceritate corporum ferè pares ſibi. Et-ne illis, inquit, paternæ necis aliquis dolor? Tum Keto, Quid prodeſt multa in ventum verba fundere, ubi nullus eſt exigendæ ultionis locus? Conſueverat rex ſine comitatu exire, apricandi gratia. Fratres illi velut comitaturi ſequuntur: ac jam ſolùm nacti verbis his F aggrediuntur: Nuper ſollicitè perquiſiſti de nece Frovini, jactabunduſque dexteram extuliſti: Ecce aſtamus in conſpectu tuo gemini fratres, ut vindices in te paternæ necis ſcelus, aut occumbamus. Interritus rex: Parcite, inquit, adoleſcentes ſanguini veſtro, vita dignos judico, quos dolor in vindictam paternæ necis armavit. Æris non contemnendam ſummam accipite: & proprii lucrum ſanguinis, militia mea in reliquum uſuri, accepto ferte. Fruſtrà, inquit, Keto, iſta jactas: morituri venimus, aut vindicaturi. Tum ille, Ergo junctis viribus concurrite. Indecorum eſt his annis, atque viribus, utrique ſeorſim concurrere. Abſit, inquiunt, dedecus & generis, & patriæ, ut uni duo corcurramus. Si quid tibi virium eſt, ait Keto, exere, ſpectator frater aſſiſtat: aut ſi illum mavis excipere me pugnæ ſpondeo ſpectatorem. Circo deſignato Keto regem invadit. At ille ictus devitans, ludificando magis pugnam extrahit, fratrem quoque ad arma vocans, ut plenis uti viribus poſſet in hoſtem. Ubi verò Keto pertinacius regem urget, rex magno impetu galeam Ketonis decuſſit, vulnuſque capiti inflixit. Tum Vigo oblitus promiſſi, in pugnam ruit violentus, & unà cum fratre regem occidit, Amputato inde capite illud ad proximam villam perferunt, & Ketonem, atque Vigonem, G germanos fratres, Frovini patris ab Atiſſo rege cæſi, mortem ultos eſſe apertè profitentur. Mox ad regem ſuum Vermundum regreſſi præmia magna retulerunt; tum quod patris necem vindicaſſent, tum quod acerrimum Danorum hoſtem ſuſtuliſſent. *Crantzius lib.1. Sueciæ c.23.*

Stupri.

Simeon, & Levti filii Jabob, ut ulciſcerentur ſtuprum à Sichem illatum Dinæ ſorori, ſimulant ſeſe illi ſororem in matrimonium daturos: ea tamen lege, ſi prius cum patre Hemor principe Sichemitarum, & omnibus civibus circumcideretur. Sichem amore puellæ conditionem accipit. Tertio die poſt, cùm illi in dolore eſſent, oppidum invadunt, mares omnes trucidant. Reliqui filii Jacob ad cædem ſuperveniunt, & oppidum diripiunt.

Repulsæ Amatoriæ.

H Bellerophontes propter occiſum Bellerum Argos exilio mutans Tirynthon pervenit, Prætique regis hoſpitio eſt uſus. Interim anteà regis uxor, adoleſcentis amore correpta, cœpit illius animum ad ſtuprum ſollicitare, & ſui copiam obtulit. Ille ubi flagitium recuſaſſet, videlicet hoſpitii religione permotus, illa prior occupans, verſoque in odium amore muliebri. Bellerophontem apud maritum occultè defert, tanquam ab illo fuiſſet de ſtupro interpellata. Quod ubi perſuaſiſſet, quoad poterat regis animum in perniciem juvenis inſtigabat, ſemper ad aurem occinens illud Homericum.

Τεθναίης ὦ Προῖτ' ἢ κάκτανε Βελλεροφόντην.
Aut morere Præte, aut interfice Bellerophontem.

Phoedra Minois, & Paſiphaes filia, Theſei uxor, ſpreta ab Hippolyto privigno, laqueo ſe de trabe ſuſpendit, abſente peregrè Theſeo marito. Is reverſus, cùm pendentem adhuc ſolveret: invenit tabulam unam ſuſpenſam, & obſignatam, in qua Phœdra Hippolyti inſidias pudicitiæ ſuæ ſtructas accuſabat. Is autem ideò finxerat, ut honeſtam cauſam necis habuiſſe videretur: & ut hoc pacto ulciſceretur Hippolytum, qui amori

Amori ipſius gratificari noluerat: Vernis quoque, quod pridem contra Hippolytum ſe ſerpentem conata fuerat, abſolveret. Fidum ergo ſcriptis contra Hippolytum innocentem confictis, cùm haberet Theſeus, jubet eum quam primùm exulem, poſt multas graviſſimas accuſationes, patria terra è conſpectu ſuo diſcedere: cùm eùm diris, & execrationibus devoviſſet, ac patrem Neptunum rogaſſet, ut Hippolytum malè perderet. Ejus preces exaudivit Neptunus, & immiſſo terrore equis, à quibus in curru vehebatur, cum per loca devia ſtipites, & ſaxa amentes, & cæci currum raperent, Hippolytum ſaxis alliſum, vulnerato, & lacerato ipſius fœdè corpore, miſerè perdiderunt. *Euripides in Hippolyto.*

Cleoboea, Phobii Nelidæ Mileſiorum Principis uxor, cùm multa fruſtra machinata eſſet, quibus Antheum regii generis ex Halicarnaſſo adoleſcentem, Phobio obſidem datum, ad ſtuprum alliceret: temporis progreſſu, amorem in ſe extinctum ſimulans, perdicem cicurem [alii vaſculum aureum] in profundum puteum dimittens, Antheum rogavit, ut deſcendens extraheret illam. Mox ingentem ſuper eum dejecit petram, atque occidit. *Parthen. in Erot. c.14.*

Damnationis.

B Theodorus Epiſcopus Cæſarienſis, damnationem in Theodorum Mopſueſtenum Epiſcopum mortuum, atque à Catholicis Concil. Chalcedonenſi laudatum, hoc modo molitus eſt. Subſcribente Juſtiniano contra Acephalos pro Concilio Chalcedonenſi, Accidens Cæſarienſis dixit, Poſſe eum Acephalos ad Eccleſiæ communionem adducere, ſi Theodorum Mopſueſtenum, Theodoretum Cyrenſem, & Ibam Edeſſenum à Concilio Chalcedonenſi receptos damnaret: nam hoc pacto eos ſine detrectatione Chalcedonenſe Concilium tanquam purgatum approbaturos. Cui Juſtinianus aſſenſus, libello edito, eos damnavit: atque Epiſcopos, qui tria capita Concilii Chalcedonenſis reſpuerent, omnibus muneribus affecit, qui diſſentirent, in exilium egit. Quæ res tantùm in Eccleſiam tumultum invexit, ut poſt aliquot annos generali diſquirenda Concilio fuerit. *Sigonius l.19. Imp. occid.*

MODI, QUO ULCISCITUR.

nempè.

Consilio Malo.

C Reliquis centauris expugnatis ab Hercule, Neſſus unus omnium ſuffugerat. Is pervenit ad flumen Evenum, & in ejus ripa verſans, ſolitus erat adeuntes tranſmittere. Deinde evenit, ut Hercules in Trachinem ad Ceycem unà cum Dejanira proficiſceretur. Poſtquam igitur ipſe fluvium tranſmiſiſſet, Neſſo mandavit, ut Dejanirem transferret. At is inter tranſvehendum vim cœpit inferre mulieri. Hercules Neſſi præcordia jaculo transfodit. Ille ſentiens lethale vulnus ad mulierem dixit: Si vis tibi amatorium efficaciſſimum parare, quo poſſis Herculem inflammare in amorem tui, & ſi quando deperibit aliam, in tui cupidinem revocare, fac illum meo ſanguine perungas. Atque ea perſuaſa Neſſi ſanguinem è vulnere fluentem apud ſe ſervavit. Itaque poſtquam Trachinem adiiſſet, ac rurſum inde profectus Oechaliam adortus civitatem cepiſſet: Jolem puellam captivam ſecum duxit. Immolaturus autem Jovi parenti victimas ob res benè fortunatas, ad Dejanirem mittit, jubens ut ſibi veſtem aliquam magnificam mitteret. Illa certior facta de Joles raptu, veſtem Neſſi cruore tinctam, imbutamque mittit, D philtrum ſe mittere rata. Hanc indutus Hercules rem divinam peregit: Cæterùm ubi calefacta veſte, venenum excitatum corpus graviter adurere cœpiſſet, avellere conatus eſt: verùm jam ita penitus adhæſerat, ut non ſine carnibus ipſis revelli poſſet. Ergo in monte Oeta rogum extruxit, eumque conſcendit. *Eraſ. in Zenodoto.*

Fridericus II. Imper. Petrum de Vineis Secretarium certis de cauſis lumine privavit. Deinde pœnitentia ductus, aſcivit eum in ſecretius conſilium. Cæterùm cùm Imperator anguſtia rei pecuniariæ Piſis premeretur, Petrus conſuluit, vires Eccleſiæ ſuiſmet opibus conterendas, conflanda in uſum belli Eccleſiarum ornamenta: inter quæ Zona illa, quæ cingebat templum, memorabilis erat. Placuit conſilium Friderico, & Eccleſiarum ſpoliis exercitum impiè paravit. Tum Petrus; Imperator, inquit, injuriam abs te mihi illatam ultus ſum: tu tibi hominum odia comparaſti, ego tibi Deum ex ſacrilegio reddidi inimicum.

Commiseratione.

Cæſaris funere in forum delato, laudavit eum de more M. Antonius, qui cum moveri oratione ſua cerneret populum, flectique ad commiſerationem, coreptam Cæſaris veſtem cruore oppletam explicavit, & ut dilacerata eſſet vulnerum multi- E tudine, oſtendit. Ibi alii interficiendos homicidas vociferabantur: pars ſubſellia, & menſas ex officinis corripientes, & coacervantes, grandem pyram ſuccenderunt, impoſitumque in rogum cadaver, in medio frequentium locorum ſacrorum, frequentium etiam inviolatorum, atque intactorum, combuſsere. Ut flamma eluxit, accurrentes alii aliundè, & titiones arripientes ſemjuſtos, ad tecta diſcurrunt interfectorum Cæſaris inflammanda. Verùm illi obſcepti antè, periculum propulſaverunt. *Plut. in Bruto & Cic.*

Cæde.

☞ *Vide Tit. Vitæ aliorum aſtutè inſidiari. Adulterio. Stupro.*

Sejano, qui injuriam acceptam à Druſo ulciſci cupiebat, cuncta tentanti, promptiſſimum viſum ad uxorem ejus Liviam ſe convertere, quę ſoror Germanici, formæ initio, ætatis indecoræ, mox pulchritudine præcellebat. Hanc ut amore incenſus adulterio pellexit: deinceps quoque ad conjugii ſpem, conſortium regni, & mortem mariti impulit. *Victorius lib.32. Var. Lect. c.15. ex Tacito.*

REPREHENSIO, ACCUSATIO, F

Calumnia Aſtuta.

Cujus rei. v. g.

Verbi inſolentis.

Cùm Rullus legem agrariam ornaret, utilitatemque ejus exponeret, Urbanam plebem nimium in Rep. poſſe dixerat, exhauriendamque eſſe. Id verbum, quamvis rei narrandæ, vel antè oculos potiùs ponendæ, valdè aptum foret, notatum Cicero in concione illi exprobravit, indeque magnam invidiam ipſi conflavit: de ſe enim tanquam de ſentina aliqua verba feciſſe tribunum iniquo animo ferre debuit populus Roman. nam quin translatio elegans ſit, dubitari non poteſt. Ipſe certè Cicero ita poſteà locutus eſt in epiſtola quadam ad Atticum, cùm de eadem re ageret. *Victorinus lib.2. Var. Lect. capite 11.*

Hæreſeos.

Hilarius Pictavienſis Epiſcopus, cùm ad emendationem eorum, qui Ariminenſi perfidiæ ſubſcripſerant, librum inſtructionis pleniſſimæ conſcripſiſſet: eum librum, corrupto no- G tario, nacti æmuli, multis in locis corruperunt. Mox eum ad concilium Epiſcoporum, ſecundùm ea, quæ ſe in libello ipſius noverant corrupiſſe, uti hæreticum arguere cœperunt, & ex ipſo autographo, ſed adulterato, redarguerunt, & hæreſeos notam inceſſerunt. Ille verò dolo cognito, aſſertionibus, ſatisfactionibus, & omnibus, quæ viventes pro ſe facere poſſunt, ſuam innocentiam tutatus eſt. *Ruffinus in Apologia pro Origine.*

Tyrannidis.

Solis quidam, homo improbitate, & audacia apud Syracuſanos clarus, dum Dioni Dionyſium tyrannum in arce obſidenti parat inſidias, primum in concione ſurgens, multa probra ingeſſit Syracuſanis, qui non intelligerent væcordi ſe, & vinolenta explicatos tyrannide, Dionyſii vigilantem, & ſobrium dominum Dionem accepiſſe. Inde cum ita ſe hoſtem ex profeſſo declaraſſet Dioni, in præſenti ex foro digreſſus eſt. Poſtridie currens per urbem, conſpectus eſt nudus, capite & facie cruore fœdatis, quaſi aliquos perfugeret conſectantes. Tali ſpecie in forum ſe coniiciens, ab externis militibus Dio- H nis docuit inſidias ſibi ſtructas, & caput ſuum ſaucium oſtendit. Multi vicem ejus dolebant, & cooriebantur in Dionem, frementes eum rem indignam, & tyrannicam agere, qui cædibus, & periculis extorqueret civibus liberam vocem. Quanquam autem confuſa erat, & turbulenta concio, perrexit eò tamen Dion ad ſe purgandum, Soſimque demonſtravit unius Dionyſii ſatellitum eſſe fratrem, atque per eum impulſum, ut ſollicitaret, & concitaret civitatem. Jam cùm præter alia indicia acceſſiſſent ſervi illius teſtimonio eum prementes, multa nocte novaculam tenentem egreſſum ſolùm fuiſſe. Populus Soſim re capitalis damnavit, & Dioni eſt placatus. *Plutarch. in Dione.*

Bonifacius Africæ Comes, virtute, & auctoritate florebat, ſub Honorio, & Valentiniano III. Ætius ejus gloriæ invidens, ut ipſum aulica machinatione ſubverteret, apud Placidiam Valentiniani matrem accuſavit, quòd tyrannidem in Africa moliretur, eamque ad evocandum illum ex Africa incitavit, contrà verò literas ad Bonifacium, tanquam amici fungens

officio miſit, monens ipſum apud Auguſtam fuiſſe perfidiæ A poſtulatum, atque ut Romam eo nomine evocetur, futurum: proinde caveret, ne accederet, ſi capiti ſuo conſulere vellet. Igitur Placida Bonifacium accerſivit. Ille verò in timorem ſalutis adductus, licèt omnino innocens, fideli, ut putabat, Ætii conſilio parendum ſibi eſſe duxit, neque Africa pedem extulit. Quamobrem Placida eò magis fidem ejus ſuſpectam habuit, & dignum hominem, qui bello vindicaretur, exiſtimavit. Guntharius, & Genſericus, Gunderici Vandalorum regis in Hiſpania filii, & à Bonifacio evocati contra Romanos, Vandalos & Alanos fretum Herculeum trajecerunt, ac nullo negotio Mauritaniam juris ſui fecerunt, anno nonodecimo, poſtquam ex Scythia ceſſerant. Bonifacius aſſumptis ex Mauritania Vandalis, Sigevulti Comiti ſumma vi in ſe ruenti occurrit, atque omni mole, ne Africa eiiceretur, contendit. Cùm autem Bonifacii pernicioſa reip. virtus aſſiduis hominum maledictis laceraretur, Bonifacii amici ipſum in Placidiæ gratiam reſtituere ſunt anniſi. Quippe mirantes, hominem alioqui officii, pietatiſque pleniſſimum, de fide tam temerè deceſſiſſe, voluntate Placidiæ Carthaginem adierunt, ac de re cum eo colloquuti ſunt. Ille ſe excuſare, & juſti doloris ſui teſtes ipſas Ætii literas proferre. Quas ubi legerunt, rationem ſe recon- B ciliandæ inveniſſe gratiæ rati, confeſtim cum iis Romam ad Placidiam redierunt, ac Bonifacium non ſua, ſed Ætii culpa lapſum eſſe docuerunt. Illa animo perturbata, dolore tamen ſuppreſſo, nihil cum Ætio expoſtulavit, ne ſummum ducem exercitum habentem, & rem præclarè gerentem, alieno tempore irritaret: verum cum Bonifacii amicis omnia contulit, atque Ætii fraudem deteſtata, juravit, ſe æquam Bonifacio futuram, ſi ille pro re Romana ſtare in animum induxiſſet, & barbaros, quos acciverat, ex Africa dimiſiſſet. Bonifacius ab amicis de fraude Ætii, & animo Placidiæ erga ſe certior factus, ſumma voluntate ſe facturum, quod illa poſtulabat, promiſit, atque ita ab armis reip. inferendis diſceſſit, animumque ad Vandalos ex Africa dimittendos, ſed fruſtrà, convertit. Inde ex Africa Romam, Placidia vocatus, Magiſtri militum dignitatem obtinuit. Mox Ætium veterem ſuæ laudis obtrectatorem ſingulari certamine fidei ſuæ probandæ gratia provocavit, commiſſoque Placidiæ permiſſu prælio ſuperavit. Quam ob cauſam Ætius dignitate nudatus in agrum ſe contulit. Tertio inde poſt menſe Bonifacio lethifero morbo tentatus, cùm ſe morti proximum cerneret, Pelagiam uxorem, mulierem locuple- C tem, ut Ætio nuberet, obſecravit. *Sigon. l. 22. Imp. occid.*

Inſidiarum.

Theodorus Santabarinus Monachus Magus, cùm Leonem Cæſarem Baſilii Imp. F. ſciret virum eſſe probum: veritus, ne apud patrem technæ ſuæ detegerentur, Leoni ſimulata amicitia inſidiari cœpit, cumque tanquam inſidiatorem clàm apud Baſilium accuſare. Idque, inquit, ut credas, ecce cùm in venationem prodibis, enſem ſub filii veſte deprehendes. Mox ſeorſim ſuaſit imprudenti adoleſcenti, ut enchiridion ſub veſte in venationem geſtaret: Aut enim feram proſternens pater, tuo egebit auxilio: aut ſi quid inſidiarum ei paretur, genitorem defendes. Cùm itaque pater in venatione enſem ſub veſte Leonis deprehendiſſet: carceri incluſit, inſignia imperatoria ademit: effoſſurus eidem oculos, niſi à primoribus, & Patriarcha fuiſſet prohibitus. *Cuſpinianus ex Zonara, & Cedreno.*

Stupri.

D Gregorius Agrigentinus Epiſcopus æmulos habuit Sabinum, & Creſcentium Diaconos. Illi ut è medio eum tollerent, noctu inhoneſtam mulierculam in ejus lecto occultarunt: qua poſteà producta in publicum, curarunt, ut Gregorius in vincula conjectus tranſmitteretur Romam. Verùm correpta muliercula à dæmone abſolutus ille, locoque ſuo reſtitutus, accuſatores verò in exilium acti. *Metaphraſtes in ejus vita.*

Furti.

Dioxippus athleta fortiſſ. Corrhagum Macedonem militem ſingulari certamine congredi auſum ſuperaverat. Macedones ejus gloriæ invidentes, phiala aurea ſtragulis ejus clàm inſerta, furti reum peregere. Ille doli infamiam non ferens, gladio ſuo incubuit. *Curtius lib. 8.*

Cùm Paphnutius inter fratres Scythioticæ ſolitudinis perſanctè verſaretur, Quidam invidiæ ſtimulis agitatus excogitavit, quo pacto eum delicti inſimularet, & captata occaſione, dum Dominico die Paphnutius cùm cæteris ad Eccleſiam convenıſſet, cellam ejus clanculùm adiens, codicem ſuum inibi abſconditum reliquit. Cùmque mox & ipſe ingreſſus E eſſet Eccleſiam, precatione ſolemni peracta, queſtus eſt codicem ſibi eſſe furto ſublatum. Mirantibus cunctis, ipſe, qui detulerat, petiit, ne quis antè ab Eccleſia diſcederet, quàm miſſis fidelibus viris cellulæ ſingulorum excuterentur. Miſſi ſeniores, codicem inter palmeas Paphnucii fiſcellas inventum referunt. Diù attonitus ſtetit Paphnucius, neque auſus eſt negare, quod tam aperto affirmabatur indicio: & ut ſibi pœnam, qua ſatisfaceret, imponerent, rogavit. At demùm Dei judicio factum eſt, ut ejus ignominiæ auctor à dæmone arreptus, nequitiam ſuam, ac dolos confitendo proderet. Qui poſteà Paphnucii ſolius oratione iterùm curatus eſt. *Marulus l. 5. c. 2.*

Veneficii.

Drusus tribunus plebis traditur caprinum bibiſſe, cùm pallore, & invidia veneni ſibi dati inſimulare Q. Cepionem inimicum vellet. *Plin. lib. 28. c. 9.*

QUOMODO.

Literarum imitatione, Literis falſis.

F Sylvanus, cùm Galliæ à Germanis aſſiduis rapinis, atque incendiis vexarentur, peditum Magiſter ad ea mala prohibenda miſſus, egregiè ſe gerere cùm cœpiſſet, multorum in ſe invidiam concitavit. Ob eam rem Dynamius præfectus, ut ipſum everteret, inſidias ei paravit: quippe literas ejus commendatitias ad amicos quoſdam nactus, eas incolumi ſubſcriptione delevit, atque hanc ſententiam repoſuit: Rogare amicos agentes intra palatium, ut ſe altiora molientem, ac propediem ſolium principis aditurum juvarent: literis verò prolatis, idem Dynamius præfectus eſt, ut hæc pro Imperatore inquireret. Ita conſiſtorio habito, omnes, quos ille nominavit, comprehenduntur, & cum literis ad eum evocandum Apodemius mittitur, qui nullis redditis literis in Gallia ſubſtitit. Interim Dynamius alias his conſentientes confinxit nomine Sylvani, & Malarichi ad tribunum fabricæ Cremonenſis: à quibus, ut conſcius monebatur, parare properè cuncta: qui lectis literis non intelligens, quid id rei eſſet, literas ad Malarichum miſit, obſecrans, ut diceret apertè, quæ vellet. Malarichus ſuam, & Sylvani vicem ſollicitus, adhibitis Francis, quorum G magna in Palatio multitudo florebat, erectiùs loqui in apertis inſidiis cœpit. Cùm autem Conſtantius Imp. rem cognoſci juſſiſſet: Florentius agens pro Magiſtro officiorum, animadverſis in literis priorum verborum lituris, rem aliter eſſe, quàm dictarat Sylvanus, Conſtantium docuit. Ea de cauſa Dynamius in tormentis eſt habitus, ſed tamen abſolutus conſpiratione multorum. His rebus cognitis, Sylvanus veritus, ne propter mollem Conſtantii animum abſens damnaretur, Francis magna mercede ad ſe adductis, Agrippinæ inſignia Auguſtalia ſumpſit. *Sigon. lib. 6. Imp. occid.*

Acriter dimicavit contra Leonem, & Conſtantinum Imper. Joannes Damaſcenus, ob defenſionem cultus imaginum, & cum Epiſcopis Orientis Imperatorem excommunicavit. Leo per falſarium literas ſcribi curat, tanquam ad ſe à Joanne ſcriptas, quibus ſe urbem Græcis proditurum polliceretur. Eas literas Saracenorum regi Leo mittit, ut ſibi à Joanne caveret. *Joannes Patriarcha de vita Damaſceni.* Auctor tamen ſermonis de Converſatione Damaſceni, hæc à pædagogo ejus eſſe facta dicit, Saracenus itaque ei brachium præcidit, ſeu (ut altera narrat) digitum, quem Maria invocata ipſi reſtituit. *Caniſ.* H *lib. 5. Marian. cap. 19.*

Joan. Jacobus Schutz à Troubach, patre ſcriba natus, cùm Melchiori Engersheimio Conſuli Seleceſtadienſi infenſus eſſet, clàm nomine ejus, manum, & ſigillum ejus egregiè imitatus, literas fingit ad Enſisheimenſem Senatum, quibus ſeſe paratum ajebat noctu præſidium in urbem accipere, & Seleceſtadium Rom. regi prodere. Literas illas non quidem Senatui tranſmiſit, ſed eas civibus quibuſdam ſeditioſis privatim oſtendit, ſibi à Materno Bartio Enſisheimenſi tabellario clàm tranſmiſſas dictitans. Hacque ratione plebem ita concitavit, ut & Melchior Conſul, & Maternus de vita ſint periclitati, donec pater Materni (à quo ſeſe literas Schutzius accepiſſe dixerat) conſultò in medium productus Colmariæ, & à Schutzio minimè agnitus, non obſcurum feciſſet indicium fraudis contra Melchiorem commiſſæ. Ob quam Argentinæ capite plexus, & in quatuor partes diſſectus fuit Schutzius: Melchior & honori, & bonis reſtitutus. *Beatus Rhenanus libro 3. rerum Germanicarum.*

Literarum

Literarum ſubjectione.

A Pharnabazus Perſarum regis præfectus in Aſia, Lyſandrum apud Spartanos accuſaverat, quod provinciam ſuam vaſtaret. Ephori ſcytala miſſa eum revocaverunt domum. Lyſander allata ad eum in Helleſpontum ſcytala perculſus, & Pharnabazi potiſſimùm formidans crimina, affectavit ad dirimendam controverſiam cum eo congredi. In colloquio oravit eum, ut literas de ſe ad magiſtratus alteras, nulla ipſum injuria affectum eſſe, neque quicquam ſcriberet queri. Pharnabazus omnia recepit ſe facturum: atque in propatulo quidem, qualem flagitabat Lyſander, epiſtolam conſcripſit, clàm verò alteram habebat jam exaratam, & inter ſignandum commutavit codicillos nihil inter ſe ſpecie diſcrepantes, tradiditque Lyſandro illum occultè ſcriptum: Reverſus Lacedæmonem Lyſander, atque, ut moris eſt, ad curiam profectus, reddidit Ephoris Pharnabazi literas, pro certo habens maximum crimen ſuum eſſe ſopitum, Pharnabazum enim Lacedæmonii, quòd inter regios præfectos fuiſſet in bello promptiſſimus, carum habebant. Ut verò lectas literas Ephori oſtenderunt Lyſandro, & hic animadvertit, Non unum Ulyſſem ſcilicet B eſſe callidum: neceſſarium ſibi iter eſſe ad Ammonis delubrum, & ſacrificia, quæ ante prælium voverat, reddenda, ſimulans, ab Ephoris ægrè dimiſſus eſt. *Plutarch. in Lyſandro, & Polyænus lib. 7.*

Scripti, Styli imitatione.

Anaximenes Lampſacenus Philoſophus, cùm ingenio vafro eſſet, & ſophiſtarum orationem aptiſſimè imitaretur, ſuſcepta cum Theopompo Damaſiſtrati filio ſimultate, hiſtoriam conſcripſit, maledictorum in Athenienſes, Lacedæmonios, & Thebanos pleniſſimam. Ad unguem verò cùm Theopompi ſtylum expreſſiſſet, ſuppoſito ejus nomine, per Græciæ civitates librum divulgandum curavit. Quæ res Theopompo magnam apud omnes Græcos invidiam concitavit. *Pauſanias lib. 6.*

Chirographo falſo.

Theophilus Alexandrinus Epiſcopus, cùm reſciiſſet, nobilem matronam Alexandrinam Iſidoro presbytero mille aureos numeraſſe in pauperum uſus diſtribuendos: ſibi non traditos graviter ferens, poſt duos menſes ſynodum cogit, & prolata charta fingit eam ſibi ab annis 18. à quodam contra Iſi- C dorum oblatam: verùm ſe multitudine negotiorum obrutum, actori judicium dare neglexiſſe: nunc verò conſcientiæ ſtimulis adactum, de ſodomiæ vitio Iſidoro crimen intentare. Subornat quinetiam puerum xv. aureorum precio, qui coram Iſidorum accuſaret. Qui tamen metu perculſus aufugit. Iſidorus quamvis innocentiam ſuam declaraſſet, invidia tamen Epiſcopi in exilium ejectus eſt. *Anton. Tit. 10. cap. 9. & Palladius.*

Confeſſione culpæ.

Chilpericus Francorum rex, Meroveo filio, obductam Brunechildim patrui Sigeberti Mediomatricum regis uxorem, & regnum attentatum, in Monachum attonſo, coacto Epiſcoporum concilio, Prætextatum Rothomagenſium Epiſcopum accuſavit, crimini dans, ab eo omnium gnaro junctam Meroveo Brunechildim, largitioneque ſollicitatos quoſdam, ut à patre deficerent, filiumque regem ſalutarent. Dolo victus eſt Prætextatus: ſubmiſſis, qui velut vicem ejus ſolliciti, per ſpeciem amicitiæ monerent, è periculo per vera, per falſa ſe eriperet. Regem animo pacatum, ac probè ſcire eum inſontem, ſed cauſa invictum videri velle: fatendo culpam, veniam, ac D gratiam inſuper Regis prometitum, Patribus jam compertam innocentiam, colluſionem futuram deinde, non judicium. Igitur poſtridiè in patrum conſeſſu præſente rege, Meroveum, inquit, quòd è ſacro delubro eum exceperam, impuli, ut regnum appeteret: quem etiam Angelum cœleſtem facere optaſſem. Tum rex teſtatus patres, quid ipſi coram audiſſent, poſtulabat, ne voce ſua damnatum abſolverent: & reum, ne quid ultrà effari poſſet, regii irrumpentes obvoluto capite abſtraxerunt. In inſulam Oceani Conſtantienſis diœceſis relegatus eſt. *Æmil. lib. 1.*

Teſtimonio falſo.

Methodius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ob cultum imaginum ab Adverſariis ſummo habebatur odio. Corruperunt hi publicum ſcortum multa pecunia, effeceruntque, ut hunc ſtupri accuſaret coram totius Senatus primoribus: quæ omnia Methodius æquo animo tulit, donec eò compulerunt virum ſanctum, ut coram Manuele magiſtro, multiſque primoribus Senatus, nulla alia purgatione uteretur, ſed paucis verbis præfatus, limbo veſtis ſubducto, membrum virile tabidum, & enervatum oſtenderet. Ibi cùm Manuel mulierculam acceſſit, acriùs inſtat, ut verum fateatur. Scortum ſceleris auctores indicat, & ſe pecuniis, ac promiſſionibus illectam E profitetur, Methodius accuſatores à pœna ſuis precibus liberavit. *Cuſpin.*

Sabinus, & Crescentinus, Gregorii Agrigentini Epiſcopi ſanctiſſimi Diaconi, quòd graviùs ab eo eſſent reprehenſi ob facinora ſua mala: inito fœdere, in ejus perniciem conſpirant: mulierem impudicam ſubornant, eamque pecunia corruptam in ejus thalamum clàm, ipſoque inſcio, abdunt; At cum eam eſſet ingreſſus Epiſcopus, in cubile irruunt, omnia clamoribus, ac tumultu implent, comprehenſum per totam urbem trahunt: ac tandem cuſtodiæ, incluſis ligno pedibus, tradunt. Cùm autem per Eparchum, urgentibus accuſatoribus, cauſa non poſſet componi, Romam vinctus ad Pontificem deportatur; ibique ſimiliter carcere in tertium uſque annum excruciatur. Sed in Synodo innocentiam ejus Deus patefecit. Meretrix etenim à dæmone correpta, accuſatorum improbitatem detexit. Gregorius igitur abſolutus, illi in exilium acti ſunt. *Simeon Metaphraſtes in ejus vita.*

Laudatione ſimulata. F

Aristoxenus, cùm indoctum Socratem, pariterque rudem, & laſcivum appellaſſet, ſubjecit: Cæterùm nullo ſcelere fuit contactus. *Plutarchus de Herodoti malignitate.*

Imaginibus.

Quidam Athanaſio Patriarchæ Conſtantinopolitano infenſi, cùm in Xerolophi cellis verſaretur, è patriarchico ſolio ſcabellum furati, Chriſti Salvatoris, & altera ex parte Imperatoris Andronici Palæologi imaginem frenos in ore gerentis, quos Arſenius alter Patriarcha, & ſeſſor equi moderaretur, in eo depinxere, & in loco ſuo repoſuere. Quidam eam fabulam vulgarunt, & Patriarcham apud Imperatorem impietatis reum egerunt. Ille convictos calumniatores duriſſimo mancipavit carceri. *Gregoras lib. 7.*

QUANDO.

Plinius in præfatione Hiſtoriæ mundi ſcribit, Aſinium Pollionem paraſſe in Plancum orationes, quas poſt mortem ejus eſſet editurus, ne reſpondere poſſet. Plancum ubi hoc reſciviſſet cum mortuis non niſi larvas luctari, dixiſſe. Eoque G dicto ita eſſe orationes illas repercuſſas, ut apud eruditos nihil impudentius haberetur. *Lud. Vives in lib. 5. Aug. de civit. Dei, cap. 27.*

ULTIO. VINDICATIO. PUNITIO VULGARIS.

PER QUOS, QUANDO, QUOMODO, CUR. FACTA.

Qui vindicaverint, puniverint?

Magiſtratus.

Fuit magiſtratus apud Cumæos, quem Phylactum vocant, cujus erat munus in frequentem Senatum venire, reoſque manu apprehenſos, de quorum judicio agebatur, detinere: donec de illorum præmio, aut pœna patrum decreto ſtatueretur. *Alex. lib. 3. cap. 5.*

Apud Perſas moris eſt, ut quos rex exitio deſtinat, zona apprehenſos apparitoribus tradat interficiendos. *Diod. lib. 17.* H

Vincti, Capti.

Lehel Hunnorum princeps quidam à Conrado Imperatore ad Auguſtam Vindelicorum captus, & Quid ita contra Chriſtianos ſæviret? interrogatus, Humanorum (inquit) ſcelerum ſumus ultores, & cùm vos perſequi deſinimus, tunc capimur, & obtruncamur, Admiratus hæc Imperator, optandæ mortis poteſtatem obtulit. Lehel antequam optaret, tubam, qua in bello utebatur, poſtulavit, qua data, Conradi caput fregit: Præibis (inquit) ad inferos, & ibi mihi ſervies. Credebant enim Scythæ, quoſcumque in hac vita cæderent, eorum ſe in altera ſervitio eſſe potituros. *Bonfin. 10. Dec. 1.* fabulam eſſe putat.

Mons accola montis Silicei, in Patavino agro, proditionis cum Arnoldo fratre inſimulatus, ad Ecelinum tyrannum deductus, animos ei faciente innocentia, magnis clamoribus vociferabatur, neque ſe, neque ſuorum quenquam proditionis infamia, ac crimine unquam laboraſſe. Quæ verba cùm tyrannus è palatio audiret (Veronæ res agebatur) deſcendit, torvoque vultu, Proditor etiam hiſcere audes? exclamavit.

Quo verbo Mons commotus, nequaquam excuſare objectum crimen ampliùs cogitans, in tyranni collum invaſit, eundemque proſtravit, & pugionem, quo cinctus erat, adimere contendit. Id cùm nequiſſet, in terram poſtratum unguibus, atque dentibus ita deformavit, ut vix multis diebus ſanari vulnera poſſent: tandemque oppreſſum interfeciſſet, niſi ab adſtantibus, præſertim à Jacobo Schinello milite Patavino interfectus fuiſſet. *Fulgoſus lib.9. cap.3. & Bernard. Scard. lib. 3. claſſe 13. hiſtor. Pat.*

QUOS,

Seipſum.

Olaus rex Novergiæ animum aliis rebus occupatum habens, cultello baculum fortè in ſarmenta conſcidit. Cùm autem ab aſtante per jocum de violatione diei Dominici admoneretur, ſcindulas ſtudioſè collectas, manuique ſuæ impoſitas incendi juſſit: ut in ſe ulciſceretur, quod contra divinum præceptum incautus admiſerat. *Crantzius lib.4. cap 8. Metrop. ex Sat. lib.10.*

Patriam,

Alcibiades cùm audiviſſet ſe morti à civibus condemnatum eſſe: Re ipſa igitur, inquit, demonſtrabimus, nos adhuc in vivis agere: venienſque ad Lacedæmonios, Decelicum bellum adversùs Athenienſes movit. *Ælian. de Var. hiſt. lib. 13.*

Monachos,

Monachi illi veteres, quinto poſt Chriſtum ſeculo, habuerunt corrigendorum delictorum diſciplinam, quam publicam pœnitentiam ſubinde nominat Caſſianus. Ea fuit ejuſmodi, ut qui deliquiſſet, in ſynaxi, ſeu publico omnium fratrum congreſſu, in terram proſtratus, tamdiu veniam demiſsè peteret, quamdiu ſolemnitas orationum eſſet finita, quam quidem impetrabat, ubi Abbatis judicio de terra ſurgere juſſus fuiſſet. Ea autem emendatione tantùm leviora delicta expiabantur: qualia ſunt. Si quid per negligentiam fuiſſet vel fractum, vel perditum, ſi non in tempore ad conventus acceſſiſſet, ſi durius, aut contumacius etiam reſpondiſſet, ſi in Pſalmorum modulationibus titubaſſet: ſi mandata item ſtatuta officia minùs diligenter expediiſſet; ſi dimiſſo congreſſu non rectè ad cellulam rediiſſet, ſi cum alio confabulatus fuiſſet, ſi cum ſuſpenſo ab oratione oraſſet: ſi cum parentibus, vel amicis, hominibus politicis, abſque Senioris permiſſu collocutus fuiſſet: ſi denique literas ſine Abbatis auctoritate, vel dediſſet, vel accepiſſet. Nam grandiora illa, & magis atrocia, ut ſunt convitia, manifeſti contemptus, contradictiones tumidæ, nimis diſſolutus, & effrenis inceſſus, cum mulieribus familiaritas, iræ, rixæ, ſimultates & jurgia, avaritiæ contagium, rerum minùs neceſſariarum affectatio, & poſſeſſio, poſtremò & extraordinaria, & furtiva cibi refectio, plagis, vel ejectione ex ſodalitio puniebantur. *Caſſianus cap. 16.*

Servos.

Vedius Pollio ſervum, qui vas cryſtallinum ruperat, ad ſupplicium rapi juſſerat, & murænis dari prædam. Et jam actum erat de ſervo, niſi ad Cæſaris Auguſti pedes ſe provolviſſet, non mortem deprecaturus, ſed mortis genus. Demiratus crudelitatem Cæſar, veniam exoravit puero, & omnia Pollionis vaſa confregit.

Commodus Imper. ira percitus, balneatorem in fornacem ardentem conjecit, quòd balneum intraturus, tepidiuſculum inveniſſet. *Raviſius.*

Qui vernam ſuum Romæ de aliquo flagitio judicaſſet, huic imperabat, ut duplex lignum, quod plauſtris ſubdunt, ſuſtolleret, atque per vicum, vel viciniam ſub omnium oculis tranſiret, ne ei fiderent in poſterum, ſed ab eo caverent. Hoc lignum Græci στήριγμα, Romani appellant furcam. Unde dicitur, qui hoc circumtulit, furcifer. *Plut. in quæſt. Rom.*

Hoſtes.

Antonino Caracalla Imperatore poſt captum Augarum Oſroenorum regem bellum cum Cennis gente Celtica gerente: Cenni tanta ira in Romanos irruebant, ut tela, quibus vulnerati erant, dentibus evellerent ex corporibus, ne manus in illis cædendis defatigaretur. *Dion. Nicæus.*

Præſcriptos.

Diviſo inter ſe Romano Imperio, Lepidus, Antonius, atque Octavius, triduum continuum, eorum notandis nominibus, quos morti deſignarant, conſumpſerunt, morem ſibi invicem de iis, quos odio habebant, gerentes, in eorum numero fuit Lepidi frater, item Antonii avunculus, & Octavii quidam amici, quos alii odio inſequebantur. Proſcriptorum igitur numerus, quorum capita ad triumviros deferebantur, fuit trecentorum ſenatorum, ac duum millium equeſtris ordinis, qui inter epulas, aut cum uxoribus cubantes, ut fortè deprehenſi erant, occidebantur: quorum corpora, quia ſepeliendi facultas ſublata erat, paſſim inhumata jacebant. *Dion. & Xiphilinus.*

Condemnatos.

Lacedæmoniis Lycurgi lege cavetur, ut niſi in convictum, & prætoris judicio condemnatum, nulli pœna noxæ merita inferatur. Quam legem Ageſilaus, cùm de reo omnium nequiſſimo ſumendum ſupplicium foret, quòd in patriam conjuraret, abrogavit: ne diù negotium diſcutiendo pœnam jure debitam fruſtraretur. *Alex. lib.3. cap. 5.*

Apud Romanos, ubi quis noxium, & exitiale crimen admiſiſſet, niſi die ad populum dicta, & reo de crimine accuſato, & convicto, dieque conſtituta cauſæ dictionis, cauſaque populi judicio probata legitimè, ſupplicium capitis de Romano cive ſumere non licebat. Dicebatur autem dies ad populum, à magiſtratibus, vel tribunis plebis, quibus jus dicendi diem data facultas fuit: nonnunquam à privatis. Siquidem Lucullus, cùm nullum magiſtratum geſſiſſet anteà, Servilio auguri peculatus diem dixit: & M. Cotta, virili toga ſumpta, Cn. Carbonem reum poſtulavit. Eoque producto ad populum, accuſatoribus, teſtibuſque adductis, ſi noxæ capitali, & vero crimini locus erat, de reo ſupplicium ſumebatur judicio populi, Quinetiam non ſolùm de civis Romani capite, ſed nec de bonis, niſi ex decreto ſenatus, & populi placito, aut eorum, qui jus dicunt, omnibus ſententiis ſtatutum fuiſſet, decerni lege poterat. Ipſi tamen, qui reus agebatur, ne imparatus, & inſciens accederet ad cauſam, cuncta, quæ ab accuſatore movenda erant, per cuſtodem debebant innoteſcere, & ſignificari, ut diluendi criminis, & objecta purgandi facultas foret, Accuſatori verò ſubſcriptores aderant, qui ea, quæ accuſationi conferrent, ſummiſſiùs ſuggerebant, & præibant. *Idem.*

Innocentes.

Saul rex Abimelech Sacerdotem, quod Davidem hoſpitio excepiſſet, ſimul etiam Nobe hoſpitalem urbem incendit, civibus omnis ſexus, & ætatis peremptis. 1. *Reg.* 22.

Idem contorſit ſpicula nonnunquam in Davidem, ut eum transfigeret. 1. *Reg.* 18.

Sennacherib Aſſyriorum rex fugiens è Judæa, ultionis cauſa in multos Judæos ſævijt. *Tob.* 1.

Herodes rex videns ſibi illuſum à Magis, iratus occidit omnes pueros. *Matth.* 2.

Joannes Andreas Lampugnanus Mediolanenſis civis, qui patrimonium alea, ac prodigalitate decoxerat, in judicio contendebat cum Branda Caſtilionenſe, Comenſi Epiſcopo: cumque litis detrimento graviter faceret, & ut fieri ſolet, in Galeacium principem malorum ſuorum cauſas conferret: in tantam rabiem exarſit, ut neglectis, quæ ſupererant, fortunis, cùm ſextum menſem in animi perturbatione perſeveraſſet, ingreſſum ſancti Stephani fanum principem tribus comitibus adjutus interemerit. Dum apparitorum telis confoderetur, ſæpiùs, Ita mori volo, horrenda voce exclamavit. *Fulgoſ. lib.9. cap.3.*

QUOMODO. PER MALA ANIMI.

PUTA MOERORE,

Deſperatione.

In Meroe apud Ægyptios, ſi quid Rex deliquit, nulla afficitur pœna; ſed cunctis averſantibus, & quotidianum congreſſum negantibus, mœrore, & tabe conficitur. *Alex. lib.3, cap. 5.*

Si Pater filium occidiſſet, ut continuo triduo circa defuncti corpus genitor aſſiduus filii ſpectator eſſet, ſanciverunt Ægyptii: nulla juſtiore pœna, quàm facinoris conſcientia ipſum puniri arbitrati. *Alex. lib.3. cap.5. ex Herodoto.*

CORPORIS. PER

Supplicia in genere.

Plato in Gorgia, & Philoſophi plerique non ignobiles, duplicem puniendis peccatis putant eſſe cauſam, unam commonitionis, alteram animadverſionis, τιμωρίας ϗ κολάσεως. Commonitio delinquentis cauſa fit, cùm ei, qui peccavit, vel pecunia, vel levi coercitione mulcta dicta eſt, quod eo fit, ut deinceps, qui deliquit, ad benè, honeſtèque vivendum promptior, & emendatior fiat. Ea pœna per leges inferri ſolet, cùm leviter delictum fuit: ut ſi judici aliquid præcipienti contumaciùs paritum eſt, vel ſi prætoris dicto quis audiens non fuit. Animadverſio verò non ipſius, qui pœna afficitur, ſed reliquorum, qui ſuperſunt, gratia adhibetur: ut metu pœnæ, ne ſimili exemplo fiant, reliqui eadem nota deterreantur. Nam delictum quò impunitius, eò effrenatius ſit: quia niſi fuerit vindicatum in noxios, propoſita impunitatis ſpes mortalium animos criminibus invitat. Ea animadverſio infertur in viros facinoroſos, & magnis criminibus obnoxios, ut in reos ſacrilegii, majeſtatis, parricidii, peculatus, alioſque nefarios, & conſceleratos, qui propter aliquod inauditum facinus pœnas ſcelerum jure, & lege perſolvunt. *Alex. lib.3. c.5.*

Romanorum ſecures faſcibus alligatæ erant. Etenim leviter delinquentes, nudatos virgis cædere, aut in Latomias dare ſolebant: qui locus erat cuſtodiæ deſtinatus, juxta Tullianum, & forum Piſcarium, à Tarquinio Superbo primùm inſtitutæ. Gravioribus verò criminibus obnoxii, tergo, & capite luebant, vel de ſaxo, & rupe deiiciebantur: erat enim rupes vaſta in Tarpejo foro ſuperſtans. Aut reſoluto plumbo necabantur, vel unco tracti in ſcalas Gemonias dabantur præcipites. *Alex. lib.3. c.5.*

Coercitio, & animadverſio in facinoroſos, duplex eſt: Gravis, & Modica. Gravis eſt, veluti cùm gladio, aut metalli pœna, aut deportatione, aut verberibus animadvertit, quę etiam Capitalis dicitur *in l. noxis, 200. ff. de verb. ſignific.* Modica eſt, veluti ut quis in carcerem ducatur, aut virgis cædatur. *Hotom. de verbis juris.*

Supplicia capitalia.

Mos eſt Æthiopibus, neminem ſubditum, etiam damnatum, morte punire: ſed quidam ex lictoribus pręferens mortis ſignum ad reum mittitur: quo accepto, reus domum abiens ſibi mortem conſciſcit. Commutare mortem exilio, veluti mos eſt apud Græcos, nefas habetur. Ferunt quendam miſſo ad ſe mortis ſigno, cogitaſſe ex Æthiopia fugere: quod præſentiens mater, zona ad filii collum poſita, nequaquam manibus reniti auſum, ne ſuis dedecori eſſet, ſtrangulavit. *Diod. lib.3. c.1. & Herod. lib.2.*

In India majori, regnum eſt Var, in quo D. Thomam & occiſum, & ſepultum tradunt. Capitali ſupplicio afficiendus precibus à rege contendit, ut ſibi in honorem Dei alicujus occumbere potius liceat, quàm carnificis manu inglorium interfici. Si rex clemens votis annuat, à propinquis ſuis magno cum gaudio per urbem ducitur, celebri pompa, cathedræ inſidens, cultellis acutiſſimis collo circumquaque imminentibus. Ubi ad ſupplicii locum deventum eſt, magna voce ſe in hujus, vel illius Dei honorem moriturum aſſerens, cultello uno arrepto, vultus ſibi qua parte vult infligit, ſede altero, & item tertio, donec viribus deficiens, ab amicis honorificè comburatur. *M. Paulus Venetus lib.3. Orient. rerum c.24.*

Τὰ τρία τῶν εἰς θάνατον, Tria mortis genera. Capitis condemnatis tria proponebant, Gladium, Laqueum, Cicutam. Qui ad mortem ducebantur, iis ea dabatur licentia, ut cibo, & potu impleti, tria dicerent, quæ vellent: poſteà os eis obturbatur. *Suidas.*

Cleomenes tyrannus Methymnæorum tres, vel quatuor lenas, quę apertiſſimè lenocinari ſolebant, liberaſque mulieres proſtituere, in ſaccis ligatas juſſit mergere. Hermippus in libris de ſeptem Sapientibus hoc ipſum feciſſe narrat Periandrum, *Athen. lib.10.*

Cædebatur virgis morti addictus apud Romanos, deinde necabatur. Interim cùm facinus non erat grave, ſatis habebant virgis cædere. Tum etiam qui creditoribus propter debiti à judicibus addicebantur, multa turpia, & miſeranda patiebantur nexi apud creditores, multaſque ſervili more in tergo plagas. Huic malo ſubvenere leges Porcia, & Sempronia, quæ liberum corpus Romani civis virgis, aut aliis verberibus cædi vetant.

Supplicia non capitalia.

Moſynœci ultra Carambim flumen, regem, quem delegere, ſi quid pravè deliquiſſet, totius diei inedia mulctabant. *Alex. lib.3. cap.11.*

Sabacus Æthiopum rex, Anyſin Ægyptiorum regem cæcum regno expulit, & 50. annos in Ægypto regnavit. Hic neminem facinoroſorum morte mulctabat, ſed pro ſui quemque delicti magnitudine ad agendam certam menſuram aggerum ad urbem, quam quiſque incolebat, cogebat. Ac ita urbes ſunt ſublimiores effectæ, ne Nili inundatione periclitarentur. *Herod. lib.3.*

Æthiopum Regem quendam fuiſſe legimus, qui delinquentium crimina non mortis pœna, ſed Naſi mutilatione puniret: ut eam moris turpitudinem veriti, circumſpectiùs à criminibus abſtinerent. Perſarum rex quidam, cùm civili tumultu, fœdo eſſet convitio jactatus, adeò exarſit, ut totius populi nares reſcinderet. *Alex. l.3. c.5.*

Homo quidam Chius, ira contra ſervum incenſus: Non, inquit, in piſtrinum ego te detrudam, ſed Olympia ducam. Rectè enim ille putabat, multò durius eſſe ſupplicium, ſi Olympiæ in ſpectaculis à radiis ſolaribus coqueretur, quàm ſi in molam ad molendum dederetur. *Æl. de Var. hiſt. l.14.*

Draculam Tranſalpinæ Ungarię prefectum memorant Turcis ſæpe captivis pedes excoriaſſe, contuſoque ſale perfricuiſſe; mox lingentes ſalſis plantis capras adhibuiſſe, quæ lingue aſperitate cruciatum augerent. *Bonfin. lib.10. c.3.*

Olaus Magnus lib.11. c.31. Aquæ gelidæ pœnam ſervis contumacibus, aut iis, qui ſacra ſtatis diebus non acceſſerint apud Septentrionales irrogari ſcribit. Eos namque teſtes, accuſatores, & judices ſonoro æris, tympanorumque ſtrepitu, ad congelatas aquas eductos, genibuſque innixos, nudato collo, cernuos guttatim gelida aqua omnium applauſu perfundunt. Interdum ea gratia conceditur, ut ſimul, & ſemel toto nudato capite aquæ urna perfundantur. Aliud glaciale ſupplicium eſt, ut glacie duobus in locis perforata, reus funi longo alligatus, & in aquam præcipitatus, ſubtus glaciem celerrimo motu per alterum foramen extrahatur.

FORTUNA UTPUTA.

Publicatione bonorum.

Sectio Latinè dicitur, quę poſteà Confiſcatio appellari cępta eſt, cùm alicujus bona publicantur: derivata ex eo appellatione, quod prædam ex hoſtibus captam milites inter ſe ſecabant, ac dividebant. *Hotom. de verb. juris.*

Vaſtatione.

Gothorum rex Totila, recepta urbe Roma, quam ei Beliſarius à Juſtiniano in Italiam miſſus ademerat, oratores ad Juſtinianum Conſtantinopolim miſit, petitum, ut ipſius Juſtiniani auſpicio, ac nomine, obtinere, ac regere urbem ipſam liceret. Cùm autem Juſtinianus conditionem repudiaret, urbem incendio ruiniſque totam deformavit, muriſque nudavit. *Fulg. lib.9. cap.3.*

Sterilitate.

Fabula narratur, cũ vetitum fuiſſet à Senatu Romano mulieribus carpentis, quæ equis juncta eſſent, uti, coitionem eas ad ulciſcendum viros inter ſe feciſſe, ne conciperent, nec parerent: dum mutata ſententia hæc eis indulſere. Matres autem factæ liberorum proborum, & multorum, Carmentæ Evandri matri fatidicæ, Nicoſtratæ alias dictæ, quaſi Carpentæ, ædem extruxerunt. *Plut. in q. Rom.*

Ignominia.

Corona ex lana ignominię loco adulteris deprehenſis, & convictis imponitur Gortina civitate Cretæ. Ipſa coronatio redarguebat ejus mollitiem, timiditatem, mulieroſitatem. Itaque æſtimata ei publicè quinquaginta ſtaterum ſumma, ad turpiſſimam infamiam redacto, omnes ad gerendam in rep. dignitatem viæ interclusæ erant. *Æl. lib.2. Var. hiſt.*

Apud Indos, qui maximi criminis reus agitur, hanc luit noxam, ut à rege tonderi jubeatur. *Stob. ſerm.41.*

Hebræis vino abſtinere, maxima cenſebatur mulcta. *Alex. lib.3. cap.5.*

Excommunicatione.

Apud Druidas, & Cerectes Galliarum populos, ſacrificio interdicti, inter impios, conſceleratoſque habebantur. *Alexand. lib.2. c.5. & Stob. ſerm.42.*

Friderico Barboroſſa coronam imperii ſuſcipiente in Italię; Arnoldus Moguntinus Archiepiſcopus, & Hermannus Palatinus comes igni, ferroque ſe mutuo attriverant. In comitiis Ratiſponenſibus cauſam dicere juſſi, Epiſcopo propter ætatem, & dignitatem venia data. Hermannus verò, cum aliis decem nobilibus, qui conſiliorum participes fuerant, canes per milliare Germanicum portarunt. *Aventinus ex diplomatibus Cæſaris anno Salutis 1156. Otto Friſingenſis l.2. de geſtis Friderici.*

Tantùm apud Anglos ordini tribuitur, ut ſacerdoti, vel de majeſtate damnato, aliiſve ſontibus, qui reliqui initiati ſunt ordinibus, vita concedatur, iis etiam, qui legere ſciunt, præter majeſtatis crimen damnatis, vita conceditur, carceribus incluſis. Quod ſi caſu evaſerint, ne ſpes ulla vitæ ampliùs ſit, in palma manus ſiniſtræ ſub pollice inuritur homicidis M. litera, quia Anglicè *murdre* homicidium dicitur: furibus verò T. quòd

quòd fur *Theſt* vocatur: qui ſic ſtigmatici effecti, ſi in peccato A rurſus inventi fuerint, tum meritas illicò dant pœnas. Cujus inſtituti auctor fuit Henricus VII. in concilio, anno regni ſecundo. *Polyd.l.26.Angl.hiſt.*

Inſectatione.

PLATO dicitur amicos admonere ſolitus, ne quem Hominem poeticum ſibi redderent inimicum. Eſt enim, ut ait Flaccus, genus irritabile vatum, & in his ſunt, qui fœnum habeant in cornu. Itaque Archilocus maledico minabatur, τέττιγα πτεροῖς συνείληφας. Cicadam ala corripuiſti: virulentem jambum meditans, qui Lycamben cum filia, nuptias ejus aſpernante, ad laqueum compulerat.

Adverſatione.

Apud Memphitas homicidii reus ab oppidis, & commercio hominum exterminabatur: donec à Gymnoſophiſtis expiatus, in patrium ſolum, & lares proprios reſtitui merebatur *Alex.lib.3.cap.3.*

In Taprobana inſula ſi quid rex delinquat, morte mulctatur, nullo interimente, averſantibus cunctis, & commercia etiam ſermonis negantibus. Feſta venatione abſumitur: gratiſſima ea tigribus, elephantiſque conſtat. *Plin.lib.6.c.22.*

B Nonnullæ circa Caucaſum Gentes, etiam pro criminibus maximis nullum morte afficiunt, ſed exilio mulctant, urbeque, & agro exterminant, quod in Seripho inſula fieri adnotatum eſt. *Strabo lib.11.*

SATASPES Theaſpis F. cùm vitiaſſet filiam virginem Zopyri Megabyſi F. Mater, Darii ſoror, ne à Xerxe in crucem ageretur, majus ſe ei ſupplicium irrogaturam dixit, & ut Africam omnem pernavigaret uſque ad Arabicum ſinum, injunxit. At is extra columnas Herculis evectus, tædio peregrinationis in Ægyptum rediit, quòd navigium ultrà agi non potuiſſet, cauſam aſſerens. At Xerxes locutum vera negans, hominem in crucem ſuſtulit. *Herod. lib.4.*

CLAUDIUS Im. quoſdam novo exemplo relegavit, ut ultra lapidem tertium vetaret egredi ab urbe *Suet.*

ALEXANDER Severus Imp. notarium, qui falſum cauſæ brevem in conſilio imperatorio retuliſſet, inciſis digitorum nervis, ita ut nunquam poſſet ſcribere, deportavit. *Lamprid.*

QUANDO.

Noctu.

C Lacædemonii, quos mortis ſupplicio dignos putarunt, noctu, non die plectere conſueverunt: cauſas verò judices occluſi, neminem videntes, ex clamore concionis judicabant. *Alex.l.3.c.5.*

Apud Rom. noctu ſumere ſupplicium de nocente non licebat: quia nota eſſe ſupplicia ad aliorum emendationem publicè cenſuere. *Idem.*

Tardè, Serò.

TIBERIUS in eos, qui gravioribus rebus contra ſe deliquerant, ab initio non animadvertit: quanquam progrediente tempore de plerique ſupplicium ſumpſerit. *Dion. Nicæus in Tiberio.*

CUR.

☞ *Conſule locos Juſtitiæ Correctivæ tum Profanæ, tum Religioſæ.*

Ob Ignorantiam.

NABUCHODONOSOR rex Chaldæorum, occidi omnes juſſit ſapientes Babyloniæ, eò quòd ſomnium, quod viderat, non poterant interpretari. *Dan.2.*

D *Ob cædem.*

AUGUSTUS bellorum civilium, quorum quinque geſſit, cauſam habuit, ut necem avunculi Julii Cæſaris vindicaret, & acta tueretur. *Suet.*

DOMITIANI Imp. mortem graviſſimè tulerunt Milites, qui Petronium uno ictu, Parthenium amputatis genitalibus, & in os conjectis jugulavere, tanquam auctores cædis. *Suet.*

OLHA PLESCOVIENSIS, Igori Ruſſorum principi nupta, cùm ille à Malditto Drevulianorum principe cæſus eſſet, & Drevuliani XX. legatos ad eam miſiſſent, ut Malditto nuberet: eos vivos terra obruit: ſuoſque interim legatos ad eos miſit, ſi ſe principem, & dominam expeterent, ut plures, atque præſtantiores legatos mitterent. Mox alios ſelectos quinquaginta viros ad ſe miſſos in balneo ſuffocavit: alioſque legatos miſit, qui adventum ſuum annunciarent, juberentque apparari aquam mulſam, aliaque ex more ad parentandum marito defuncto neceſſaria. Ad Drevulianos cùm veniſſet, maritum planxit, Drevulianos inebriavit, quinque millia illorum occidit. Chiouviam reverſa exercitum conſcripſit. Drevulianos fugientes in caſtrum E perſecuta, obſidione ad integrum annum preſſit: pòſt interpoſitis conditionibus, tributum illis de qualibet domo, tres videlicet columbas, totidemque paſſeres imperavit: acceptaſque in tributum aves, continuò alligatis ſub alas igneis quibuſdam inſtrumentis, dimiſit: quæ cùm ad columbaria ſua revolatent, incendium ſecum attulerunt. Itaque occupatis omnibus Drevulianorum caſtris, ultrà mariti mortem, Chioviam reverſa, & anno mundi 6463. in Græciam profecta, baptiſmum ſub rege Joanne Conſtantinopolitano ſuſcipit: commutatoque nomine Olhæ, Helena vocata eſt. Hæc prima inter Ruthenos Chriſtiana fuit, ut annales eorum teſtantur, qui eam ſoli æquiparant. *Sigiſm. Herbeſtein, de reb. Moſcoviticis.*

Ob Minas.

Apud Perſas ſummum fuit ſupplicandi genus, quod abnuere nefas eſſet, ſi ignem tenens ſupplex, atque amnem ingreſſus denunciaret, ſi rejectus eſſet, ignem ſe in aquam miſſurum. Aſſequebatur enim, quod poſtulabat. Sed voti compos, minarum cauſa, ut nefariarum, & à natura abhorrentium plectebatur. *Plut. de Primo frigido.* F

Ob Reprehenſionem.

Eo bello, quod cum Beliſario Gothi geſſerunt, cùm unus militum Conſtantini tribuni, Romano juveni inſignem ſpecie enſem ademiſſet, atque Conſtantinum Belizſrius reprehenderet, quòd tam inſolenter agi à ſui ordinis milite pateretur, reprehenſionique minas pro imperio adderet, ni gladius reſtitueretur: Conſtantinus præ iracundia pugione Beliſarii pectus petiit. Propter quod facinus ſtatim laqueo enectus fuit. *Fulgoſus lib.9.cap.2. ex Procopio.*

Ob Mendacii objectionem.

ENGERRANUS MARINIUS apud Philippum Pulchrum Francorum regem omnia poterat. Is per jurgium Carolum Valeſii comitem, regis fratrem, mentiri dixerat. Mortuo Philippo, Carolus ſub Ludovico Hutino Engerranum falſo peculatus crimine circumventum ad furcam adegit. *Æmil. lib.8.*

* DE ULTIONIS APPETITU, INFIRMITATE, MALITIA,

APOPHTHEGMATA.

G DIOGENES interrogatus à quodam, quo pacto maximè poſſet ulciſci inimicum? Si teipſum, inquit, probum, & honeſtum virum præſtiteris. Hoc qui facit, & ſibi prodeſt maximè, & inimicum maximè diſcruciat. Nam ſi fundum conſpiciens benè cultum, diſcruciatur inimicus, quid fiet, ſi teipſum viderit veris ornatum bonis. *Laert. lib.6.* Idem ingreſſus aliquando juvenum convivium capite ſemitonſo, non ſolùm, non comiter exceptus, ſed multis plagis onuſtus dimiſſus eſt. Quos ille hac ratione eſt ultus. Nomina juvenum, à quibus fuerat cæſus, albo inſcripſit. Itaque obambulabat ſoluto pallio, plagarum notæ loquebantur, quid eſſet paſſus, & album prodebat auctores. Hoc pacto juvenes inhumanos omnibus objurgandos, ac reprehendendos expoſuit. *Laert. ibidem.*

MIDIAS cum Diogeni colaphum dediſſet: Diogenes continuo dixit: Tria millia tibi in menſa ſunt poſita, per ludibrium illi gratulans, quod pro colapho tantum nummorum ex mulcta ad ipſum eſſet rediturum, ſi lege ageret. At Diogenes poſtridiè ſumpto pugilum loro, eoque impacto Midiæ, totidem verbis dixit: Tria millia tibi in menſa ſunt poſita. *Aulus Gellius* narrat de quodam, qui pro delectamento habebat manu H depalmare homines, moxque è crumena, quam in hoc circumferebat, numerabat mulctam. At Diogenes declaravit, non omnes eſſe ea patientia, ut mulcta contenti ſint. *Idem.*

DIOGENES Grammaticus ſabbathis Rhodi diſputare ſolitus, Tiberium ad ſe venientem, ut ipſum extra ordinem audiret, non admiſit, ſed per ſervulum ſuum in ſeptimum diſtulit. Is cùm Romam veniſſet, & pro Cæſaris foribus adſtaret, cupiens illum ſalutare: Tiberius juſſit, ut pòſt ſeptimum annum rediret. Nec alia pœna, tantùm Grammatici ſuperbiam ultus eſt. *Eraſ. lib.6.*

TIMON Athænienſis, quem μισάνθρωπον appellat Lucianus, cùm erga cæteros eſſet inhumaniſſimis moribus, fugeretque conſuetudinem hominum, ſolùm Alcibiadem adamabat, exoſculabaturque. Id admiranti cuidam, cauſamque roganti reſpondit: Ideò ſibi charum eſſe adoleſcentem, quòd perſpiceret illum, aliquando magnum fore Athenienſibus, à quibus multis contumeliis affectus eſſet. *Eraſm. l.5. Apoph. Fulgoſ. lib.9. cap.12.*

PHILOXENUS cùm audiſſet ſuos verſus à laterariis perperam

recitari, lateres ipſorum comminuit dicens: Vos mea corrumpitis, A ego viciſſim veſtra. *Eraſm. lib.6. Apoph.*

Cùm puer quidam Ageſilao rege vidente murem captum è cavo protraheret, muſque converſus momordiſſet tenentis manum, atque effugiſſet: Ageſilaus indicavit his, qui aderant, dixitque: Poſteàquam minimum animalculum ſic ulciſcitur eos, à quibus læditur, quid viros oporteat facere, cogitate: ita Dux fortiſſimus undecumque captata occaſione animum addere ſtudebat ſuis, ut audentiores fierent adversùs hoſtem. Sed idem exemplum magis eo valet, ne quis quamvis potens, injuria provocet infirmiorem. Fit enim ſæpènumero, ut qui, ſicut ait Flaccus, fragili quærit illidere denti, infringat ſolido. *Plut. in Lacon.*

DEMONIDES amiſſis furto crepidis, precatus eſt, ut ejus, qui ſuſtulerat, pedibus convenirent. Viſus eſt benè precari, cùm illi magnum precaretur malum, videlicet pedes diſtortos, quales habebat Demonides. *Plut. in Lacon.*

CHILON fratri querenti, quod Ephorus ipſe non crearetur, cùm ille eſſet: Ego inquit, injuriam ferre novi, tu non. *Diogenes Laert. in ejus vita.*

B THALES rogatus, quomodo quis facillimè ferret infortunium ſuum? Si quis videat hoſtes majoribus malis obnoxios. Quidam enim ex contemplatione felicitatis alienæ ſuam calamitatem exaſperant. *Laert. lib.2.*

PITTACUS habens poteſtatem puniendi quempiam, qui contumelioſus in ipſum extiterat, dimiſit, inquiens: Venia ultione melior eſt. Illa namque mitis eſt ingenii, hæc autem ferini. *Stob. ſerm.47.*

BION familiares ſuos admonebat: ut hoc argumento putarent ſe profeciſſe in philoſophia, ſi jurgantes, & convicíantes perindè audirent, ac ſi recitarent verſus illos Homericos.

Ξεῖν' ἐπεὶ, οὔτε, κακῷ οὔτ' ἄφρονι φωτὶ ἔοικας.
Οὖλέ τε καὶ μάλα χαῖρε, θεοὶ δέ τοι ὄλβια δοῖεν.
Quando vir haud nequam, nec ſtultus amice videris
Permultùm ſaluta, atque vale, Dii proſpera donent.

Laert. lib.4.

XENOCRATES à Bione dictis laceſſitus. Non ſum, inquit, tibi reſponſurus. Neque enim Tragœdia, cum à Comœdia taxatur, dignatur eam reſponſo. *Laert. lib.4.*

Heraclitus dicebat, injuriam magis extinguendam, quàm incendium. Ex leviſſimis offenſis, ſi negligantur, naſcuntur C atroces tragœdiæ. Sed ad reſtinguendum incendium accurrunt omnes: gliſcenti verò ſimultati citius addunt irritamenta. *Laert. lib.6.*

SOCRATES frequenter dicere ſolitus eſt; Pejus eſt injuriam facere, quàm ferre: ſenſit enim non ſemper malum eſſe, qui injuriis afficitur: ſed potiùs hunc, qui bonis injuriam infert. *Bruſ. lib.3.* Idem cùm in via quidam illi per laſciviam calcem impegiſſet, admirantibus, quod id pateretur? Quid facerem, inquit? Illis hortantibus, ut vocaret hominem in jus: Ridiculum, inquit, ſi quis aſinus me calce percuſſiſſet, diceretis mihi: Voca illum in jus: Nihil putabat intereſſe inter aſinum, & hominem brutum, nullaque virtute præditum: ac vehementer abſurdum videri, non pati ab homine, quod ab animanti bruto paſſurus ſis. *Laert. lib. 2.* Idem, cùm non iraſceretur illi, à quo convitiis multis aſperſus eſſet, objurgatus cur taceret: Mihi, inquit, ſuis dictis non obeſt, quandoquidem talis non ſum, qualem ipſe me eſſe dicit. *Eraſm. lib.3. apopb.* Idem cum Xanthippe in publico pallium marito detraxiſſet, ac familiares admonerent, ut tantam injuriam manu ulciſceretur: D Pulchrè inquit, nimirùm, ut nobis colluctantibus acclametis, Eja Socrates, Eja Xanthippe: Nam hujuſmodi vocibus ſpectatores animant duos inter ſe commiſſos. Maluit autem vir ſapiens tolerantiæ exemplum de ſe præbere, quam ridiculum exhibere ſpectaculum viri cum uxore certantis. *Laert. lib.2. cap.1.* Idem, cùm Xanthippem diu rixantem tuliſſet in ædibus, ac tandem feſſus conſediſſet ante fores, illa magis irritata quiete viri, de feneſtra perfudit eum lotio. Ridentibus, qui præteribant, & ipſe Socrates arridebat dicens. Facilè divinabam poſt tantùm tonitru ſequuturam eſſe pluviam. *Laert. lib. 2.*

Sunt qui putent, Socratem ſimul aluiſſe domi duas uxores, Myrrho, & Xanthippen. Proinde demiranti cuidam, in quem tandem uſum aleret duas mulieres, præſertim rixoſas, nec eas domo exigeret? Hæ, inquit, me domi docent tolerantiam: qua in publico utendum eſt: harum moribus exercitatus commodior ero ad aliorum conſuetudinem. Hunc percontatorem A. Gellius facit Alcibiadem. Idem. Alcibiadi demiranti, quod Xanthippem ſupra modum rixoſam domi perpeteretur: Ego inquit, jam pridem his ſic aſſuevi, ut non magis offendar: quam ſi rotæ, quæ aquam educit è puteo, ſtridorem audiam. Nam is ſtridor moleſtiſſimus eſt inſuetis: eundem qui quotidiè audit, E adeò moleſtè non fert, ut ſe audire neſciat. *Laert. lib.1.* Idem. E Palæſtra redeuntem Euthydemum caſu factus obvius, duxit ad cœnam. Illis autem inter ſe multa commentantibus, Xanthippe irata ſurrexit, multaque in maritum dixit convitia: quibus cùm ille nihil commoveretur, tandem & menſam ſubvertit. Cùm autem Euthydemus valdè perturbatus, ſurgenſque abire cœpiſſet: Quid habes? inquit Socrates, nonne nuper hoc idem accidit domi tuæ, ut Gallina ſubvolans averterit, quæ erant in menſa: Ego tamen ob id non indignabar. *Laert. l.1. c.2.* Idem colapho percuſſus à quodam in via, nihil aliud reſpondit, quàm quòd homines neſcirent, quando prodire deberent cum galea. Simile quiddam *Laert.* adſcribit Diogeni *l.6.* ſed *Bruſ. lib.5. cap.1.* Socrati, quemadmodum & alii. Idem. Cùm in Ariſtophanis comœdia acerbis convitiis proſcinderetur, & aſtantium quidam diceret, Cur hæc non moleſtè ferret? non ægrè, inquit, in theatro fero, cùm his perſonis omnia liceant. *Laert. lib.2. cap.1.*

PLATO, quodam ei maledicente, Perge, inquit, maledicere, qui benè nunquam didiceris. *Stob. ſerm.21.* F

DIOGENES pinguem ſalivam à quodam in facie cùm accepiſſet, nihil motus ait. Affirmabo, falli omnes, qui negarint talos habere. Solidam illam contumeliam non modò æquo animo tulit Cynicus, ſed joco etiam irriſit. *Bruſ. l.5. c.1.* Idem, Cuidam dicenti, Multi te deridént, ò Diogenes: Et illos, inquit, fortaſſis aſini. Altero ſubiiciente, ſed illi non curant aſinos. Nihilo magis, inquit ego ipſos. Aſinis irriſionem tribuit, quod ſubinde nudatis dentibus irriſionis ſpeciem præbeat. Quin & deridentes quempiam, mota ab aure manu imitantur aſininas auriculas. Videtur igitur, & aſinus motis auriculis irridere homines, nemo tamen offenditur. *Laert. l.6.* Idem convitiis laceſſitus à quodam de crimine proditionis infami, Gaudeo, inquit, me tibi factum inimicum, quando tu non hoſtes, ſed amicos lædere ſoles: *Eraſ. lib.8. apopb.* Iidem Platoni ipſum ob vitæ ſordes canem appellanti: Sanè, inquit, nam ad eos, qui me vendiderant, recurri. Solent enim canes ſi vendantur ad veteres dominos recurrere. Non offenſus eſt convitio, ſed commodè interpretatus eſt. Cùm Æginam navigaret, interceptus eſt à piratis: atque in Cretam productus, ibique venditus. *Laert. l.6.* Idem, Cùm de ferenda G injuria diſputaſſet, adoleſcens protervus veluti periculum faciens, an re præſtaret ea, quæ docebat: inſpuit illi in faciem. Tulit hoc leniter: Non quidem, inquit, iraſcor, ſed dubito tamen an propter id iraſci oporteat. *Laert. lib.6.* Idem. Ei à quo trabe fuerat percuſſus, dicenti, Cave: Num inquit, iterùm me ferire vis? *Bruſ. l.3.* Idem Cuidam ipſi dicenti, plurimi te derident: At ego, inquit, non derideor. Id autem videtur ἀδύνατον, ut aliquis te percutiat, tamen non percutiaris: ſed Diogenes negavit ſe derideri, ſive quòd non eſſet ridiculus, ſive quòd exiſtimaret hominum irriſionem nihil ad ſe pertinere. *Laert. lib.6.*

CLEANTES appellatus aſinus agnovit convitium, dicens ſe ſolùm eſſe patrem ferendæ Zenonis ſarcinæ. Sive quòd Zenoni non multum eſſet ſupellectilis, ſive quòd unius illius auſteritate nihil offenderetur. *Laert. lib.6.*

ANTISTHENES dicebat. Qui nos maledictis inceſſerent, eos magis tolerandos dicebat, quam qui nos lapidibus impeterent: Verba enim non lædunt, ſi quis contemnat. Vide verò num forte hic ſit ſenſus, tolerantiores eſſe, qui convicia patienter ferrent, quàm ſi quis lapidibus impetitus ferat. Quorundam H enim dicta gravius ſauciant, quàm lapides. Quod ſi indecorum eſſet gravi viro lapidibus repetere à quo petitus fuerat, æque indecorum ſit in conviciantem regerere convitia. *Laert. l.6.* Idem. Cùm accepiſſet, Platonem de ipſo malè loqui, nihil commotus, Regium eſt, inquit, cùm feceris bene, audire malè. Quamquam hoc idem aliis adſcribitur. Excelſi animi eſt ingratitudine hominum non deterreri à ſtudio benemerendi de omnibus. *Ibidem.*

SOLON deſpuentem quendam ferebat. Cùm autem alter quidam eum propterea accuſaret, Atqui, inquit, piſcatores, ut gobium unum capiant, patiuntur ſe aqua marina conſpergi: ego idem ferre non ſuſtineam, ut hominem capiam? *Max. ſerm.42.* dictum eſt ab Ariſtippo, quem Dionyſius tyrannus conſpuerat. Idem. Cùm à quodam convitiis inceſſeretur, tacitus abiit, verùm cùm maledicus ſequeretur abeuntem, dicens, cur aufugis? Ideò, ait, tibi ſiquidem poteſtas eſt loquendi ea, quæ vis, mihi verò data eſt poteſtas eam non audiendi, quæ audire nolo. *Laert. lib.2.*

ANACHARSIS ab adoleſcente in convivio pulſatus: Adoleſcens,

ſcens, inquit, ſi nunc vinum non fers, aquam feres, cùm ſenueris. Moderationis erat, & patientiæ, quòd adoleſcentis proterviam vino imputavit. *Laert. lib. 1. c. 9.*

Dion Alexandrinus, multis convitiis, ac probris à quopiam laceſſitus, non reſpondit. Cæterùm, ubi intra ædium ſuarum veſtibulum veniſſet (nam eo uſque convitiator fuerat inſectatus) nihil ſe turbatum oſtendens, hoc tantùm dixit: Ne gry, quidem maledictis tuis reſpondeo. *Stob. ſerm. 19.*

Demosthenes à quodam convitiis laceſſitus: Nolim, inquit, tecum in hoc genus certaminis deſcendere, in quo, qui vincitur, ipſo victore melior eſt. *Stob. ſerm. 19.*

Aristides, cùm iret exulatum, ſublatis in cœlum manibus deos comprecatus eſt, ſic proſperarent res Athenienſium, ut illis Ariſtides nunquam veniret in mentem. In rebus enim afflictis ſolet populus ad egregios viros confugere, id quod evenit. Siquidem tertio pòſt anno, cùm Xerxes Atticam adoriri ſtatuiſſet, Ariſtides ab exilio revocatus eſt. *Plut. in ejus vita.*

Phocion. Cùm apud Athenienſes verbum facere pro concione, reprehendens in ipſis ingratitudinem, ſubita voce dixiſſe fertur, Malle ſe damnum ab aliis accipere, quàm damnum etiam pro meritis inferre. *Ælian. lib. 2. de var. hiſtor.* Idem, injuria uxori ſuæ facta, tantùm ab Authoris accuſatione abfuit, ut cùm ille ſponte metu perculſus Phocionem accederet, & veniam poſtularet, inquiens, ignoraſſe, quod ejus uxor fuiſſet, in quam injurioſus fuerat, hoc ſermone ſit uſus: Mea quidem uxor nihil abs te affecta eſt, ſed fortaſſis alia quæpiam: proindè non eſt, cur excuſationem apud me dicas. *Muſon. apud Stob. ſerm. 17. Idem de Piſiſtrato refert Plut.*

Phocioni cùm poculum cicuta temperatum porrigeretur, percontatus eſt quiſpiam, ſi quid filio vellet dicere, nam is aderat. Ego, inquit, tibi, fili, præcipio, atque etiam obſecro, ne quid ob hujus rei memoriam Athenienſibus malè velis: Cæteris morientibus præcipuum ſolatium eſſe ſolet ſpes vindictæ: huic illud curæ fuit, ne filius patris injuſtam necem ulciſceretur. *Plut. in apoph. Ælian. l. 12. de var. hiſt.*

Poſt Antipatri obitum, cùm Athenienſium Reſpublica ad gubernationem popularem rediiſſet, Phocion in concione capitis damnatus eſt. Atque hujus quidem amici cæteri, qui ſimul cum illo damnati fuerant, flentes ducebantur: Phocion autem tacitus ibat. Cui ex inimicis quiſpiam factus obvius, poſt convicia in faciem expuit. Cùm Phocion ad magiſtratus reſpiciens: Non hunc, inquit, compeſcet aliquis indecorè ſe gerentem? De tam atroci contumelia queſtus non eſt, nec flagitavit vindictam adversùs eum, qui præter leges ſæviret in hominem damnatum: tantùm cohiberi juſſit exemplum bonis moribus adversùm, & immanè facinus non aliud, quàm indecentes mores appellavit. *Plut. apoph.*

Phocionem cùm pro concione dicentem quidam petulantiſſimè maledicus interpellaret, multis convitiis in illum debacchans, omiſit, quod cœperat, locumque dedit maledico. Poſtquam ille vix dicendi feciſſet finem, Phocion reverſus in ſuggeſtum placido vultu, perinde quaſi nihil eſſet dictum, cœptam orationem perſequutus eſt. De pedeſtribus, inquit, copiis audiſtis: ſupereſt, ut de velitibus, ac levis armaturæ milite dicam. *Plutarch.*

Timotheus dicebatur dux fortunatus. Huic invidentes nonnulli, dixerunt civitates ultro ſe reti implicare, ipſo dormiente. Hac contumelia nihil offenſus Timotheus, civiliter reſpondit. Si tanta urbes capio dormiens, quid faciam vigilans? *Plut. in apoph.*

Teleucrus ad fratrem cives criminantem, quòd aſperius ſecum, quàm cum illo ſe gererent: Tu, inquit, injurias pati neſcis. *Ibid.*

Agesilaus audiens quoſdam clàm ſibi infenſos eſſe, non tantùm de ultione cogitavit: ſed in militum duces elegit, & magiſtratus accuſatos defendit, hac arte ex hoſtibus ſibi amiciſſimos reddidit. Qua prudentia, quid utiliùs, qua mederi malevolis maluit, quàm ulciſci? *Plut. in Lac. apoph.* Idem. Ad Lariſſæos, qui non juverant res hoſtium, Xenoclem & Scythen legatos miſit, ut amicitiam inirent. Verùm hos, cùm Lariſſæi contumelioſè tractaſſent, alii hoc factum graviter tulerunt, & admonuerunt Ageſilaum, ut hoc factum contra jus gentium admiſſum, admoto exercitu ulciſceretur. At ille negabat ſe, vel univerſam Theſſaliam hac conditione velle capere, ut ex his quos miſerat alterius facere jacturam: amiſſurus utrumque ſi illos bello laceſſiſſet. *Ibid.*

Agis ultimus cùm captus ab Ephoris condemnaretur, ac jam duceretur ad mortis ſupplicium: vidit quendam rei indignitate ad fletum moveri. Cui ait: Deſine meas vices flere. Morior enim præter jus, & æquum, ſumque multò melior his, qui me occidunt. *Ibid.*

Lysander, Cùm multis contumeliis à quodam aſſiduè afficeretur. Dic, inquit, ò amicule, dic, dic, nihil omittas, ſi quatuum animum malis, quibus videris plenus, valeas exornare. Ingenti animi argumentum, ne ira quidem dignum arbitrari maledicum, cùm in promptu eſſet ultio. *Plut. in Lac. apoph.*

Lycurgus, poſt reformatam Rempublicam cùm à populo ferè dilapidatus eſſet, in ſeditione Alcander pertinacius inſequens fuſte reſpicienti Lycurgo in tergum extrudit oculum. Verùm hunc Alcandrum cum noxæ deditum publico decreto accepiſſet puniendum, nec ullo affecit incommodo, nec incuſavit: ſed cùm illum ſui inſtituti ſocium haberet, affecit & ut ipſum Lycurgum, & vitæ rationem, quam cum eo egerat, prædicaret: nec victum modò, ſed univerſam civium educationem amaret, quam Lycurgus induxerat. Porrò mali, quod acciderat, monumentum locavit dicatum in templo Minervæ, cui ab æreo delubro nomen Chalciœco, deæque cognomentum addidit, ut Optiletis diceretur: nam Dores Lacedæmonem incolentes, oculos optiios vocant, ab ὄπτω, quod Græcis ſonat video. Inſignis tolerantiæ exemplum, quæ ex hoſte capitali reddidit amicum, ac propugnatorem: quem etiamſi necaſſet, ut ipſi licuit, nihilo tamen minùs ipſe fuiſſet luſcus, & uno legum ſuarum defenſore minùs habuiſſet. *Plut. in Lac. Stob. ſer. 17.*

Duo pueri inter ſe pugnabant, quorum unus alteri lethale vulnus inflixit. Puerorum autem ſodales, cum ſaucius ille moriturus eſſet, polliciti ſunt illi vindictam, ſicque vulneris auctorem interfecturos. At ille: Nequaquam, inquit, per Deos. Non enim æquum eſt, quandoquidem & ipſe hoc facturus eram, ſi antevertiſſem, ſique ſtrenuus fuiſſem. Indolem verè Laconicam, qui victus, ac moriens, juſto tamen victori favebat, quòd virtute, non dolo ſuperaſſet adverſarium. Quid talibus ingeniis felicius, ſi à teneris ad veram virtutem fuiſſent inſtituta, potiùs quàm militarem duritiem? *Plut. in Lac.*

Alius quidam Laconi dixit, Mentiris: ille contra, Nimium, inquit, liberi ſumus, alii verò niſi vera dixerint, vapulant. Nihil commotus eſt Lacedæmonius, ſed atrox convicium eluſit joco, obiter taxans maledicum, quòd ipſe non eſſet Lacedæmonius, atque ob id, nec liber: Porrò ſervi, ſi quid fallant mendacio, loris emendantur. *Ibid.*

Laçones cùm Deos comprecantur, hoc votis addunt, ut poſſint injuriam pati, quòd neminem judicarent ad gerendum imperium, aut alioqui ad magnas res obeundas idoneum, qui quavis injuria commoveretur. *Plut. in Lac. apoph.*

Archelaus, cùm à quodam aqua conſperſus eſſet, amicis illum adversùm eum, qui hoc fecerat, inflammantibus: Immò, inquit, non me conſperſit, ſed eum, quem eſſe putavit. Quid hac moderatione civilius? Hoc exemplo, facilè debet iis ignoſcere, qui licèt in præpotentem, tamen imprudentes delinquunt. *Plut. in apoph.*

Demonax. Cùm athletam reprehendiſſet, quòd victor in Olympiis cultu molli uteretur, lapidem illi iracundus incuſſit in caput, ita ut ſanguis ex vulnere proflueret. Id factum indignè ferentes, qui aderant, hortati ſunt, ut adiret proconſulem: nequaquam, inquit, ò viri ad proconſulem, ſed ad medicum potiùs priùs eſſe debet homini, ut malo accepto medeatur, quàm ut regerat in alterum. *Eraſ. Roter. l. 8. in apoph.*

Cùm Athenienſium exules hortarentur Pauſaniam, ut adversùs Athenienſes moveret exercitum, dicerentque, quòd cùm in Olympiis præconis voce pronunciaretur victor, ſoli Athenienſes ipſum exibilaſſent. Cùm hoc, inquit, fecerint in bene meritum, quid facturos creditis, ſi illis maleſecero? Inſigne moderationis exemplum, nihil tam atroci commoveri contumelia, at idem ingenii mirè ſolertis argumentum, quod offerebatur, velut inſtigaturum Pauſaniæ animum ad ſuſcipiendum bellum, id in partem diverſam retorquere. *Plut. in Lacon. Idem ſuprà titulo de Malitia*, attribuitur Philippo Macedoni.

Agathocles, obſidens urbem quandam, nonnullis è muro convicia in ipſum jaculantibus, dicentibuſque, Figule, unde militibus tuis perſolves ſtipendium? Ille placidius arridens reſpondit. Cùm hanc cepero. At cùm urbe vi potitus eſſet, venderetque captivos, dixit: Si me denuò convitiis affeceritis, apud heros veſtros querar de vobis. Civiliter illis exprobrans

intempeſtivum maledicentiam, & ſervitutem maledicentiæ præmium. *Plut. in apoph.*

Epaminondas. Civium ſuorum injurias patientiſſimè ferebat, dicens eſſe nefas iraſci patriæ: quemadmodum parentum injurias ulciſci pietas vetat. *Eraſ. lib. in apoph.*

Alexander. Cùm accepiſſet eſſe quendam, qui conviciis ipſum impeteret: Regium eſt, inquit, cùm facias bene, audire malè. Nihil hoc dicto generoſius, quanquam idem & aliis adſcribitur. *Plut.*

Antigonus, nocte quadam milites imprecantes regi audiens nil dixit aliud, poſtquam incognitus eos è lutoſa via extricaſſet, quàm: Nunc convitiis aſpergite Antigonum, cujus vitio nunc laboratis: & benedicite eidem, qui ex his vos ærumnis liberavit. *Eraſm. lib. 5. apoph.* Idem. Cùm in exiguo quodam caſtello Græci obſiderentur, & loci fiducia contemnerent regem, ob corporis deformitatem, ac nunc ſtaturam humilem, nunc colliſum naſum deridentes, Gaudeo, inquit, & boni quippiam ſpero, quandoquidem & Silenum habeo in caſtris. Quaſi diceret, ſenſuros eos eſſe ſuo tempore virum, quem nunc derident. *Eraſm. l. 4. apoph. Vide proverb. Silenus Alcibiadis.*

M. Cato à quodam in balneo percuſſus, objurgatus ab amico, cur hoc pateretur? ait: Non memini me percuſſum eſſe. Senſit eam injuriam æquo animo ferendam eſſe, cujus dolorem non diù ſentias. *Plut.* Idem. Cùm Catoni cauſam in foro agenti Lentulus attracta pingui ſaliva in mediam frontem quantum poterat expuiſſet, abſterſit Cato faciem, ac dixit: Affirmabo omnibus, Lentule, falli eos, qui te negent os habere. Os habere negantur, quos nihil pudet: id cùm eo facto maximè declaraſſet Lentulus, tamen Cato ludens profitetur illi eſſe os: non quòd erubeſceret, ſed quòd ore multam purulentiam ejacularetur. *Eraſ. l. 5. apoph.* Idem *ſuprà* Diogeni tributum eſt à Bruſonio.

Tiberius Cæſ. in ſenatu dictis quorundam hominum parum honeſtis aſperſus, admonitus, ut maledicos puniret: Non tantùm, inquit, habemus otii: ut implicare nos pluribus negotiis debeamus. Si hanc feneſtram aperueritis, nihil aliud agi ſinetis. *Eraſ. 6. apoph.* Idem, Quemadmodum jocis, conviciis, famoſis carminibus, ac rumoribus frequenter impeteretur, amicis ad ultionem hortantibus reſpondit. In civitate libera linguam, mentemque liberam eſſe debere. *ibid.*

Theodosius ab amicis interrogatus, cur neminem eorum, à quibus afficeretur injuria, capitis ſupplicio damnaret? Utinam (inquit) mihi daretur & mortuos ad vitam revocare. Docuit hoc dicto ſapientiſſimus princeps, ad privatas injurias hominem, debere eſſe facilem ad ignoſcendum. *Eraſm. l. 8. apopb. ex hiſt. Eccl.*

In Fridericum Cæſarem tertium cum nonnulli dicta probroſa jactaſſent, referentibus aulicis. An neſcitis, inquit Fridericus, principes quaſi ſignum ad ſagittam expoſitos eſſe? Turres quidem fulgura præaltas feriunt, humilia tecta prætereunt. At nobiſcum bene agitur, ſi verbis tantùm impetimur, Innuens eum, qui convitia, velut dicta, quibus nihil levius, formidat, vix toleraturum popularium impetum. *Æneas Sylv. lib. 1. Comment. de reb. geſt. Alphonſi.*

Alphonsus nonnullos de ſe bene meritos, ſed ipſum probris clàm ſolitos lacerare, cùm audiſſet: Regum eſſe, inquit, non ſolùm benefacere, ſed mala etiam patienter audire. Legerat nimirùm rex prudentiſſimus, Lacones Deos comprecatos, ut poſſent injuriam pati: quod neminem judicarent idoneum ad gerendum imperium, qui quavis injuria commoveretur. *Panorm. l. 1. de reb. geſt. Alphonſi.* Idem audiens à ſuis, quantum maledictis proſcinderetur ab inimicis ſuis, reſpondit: in hujuſmodi injuriis non quid dicatur, ſed à quo dicatur, in primis animadvertendum. *Idem lib. de reb. geſt. Alphonſi.* Idem intellexit, ſe multis maledictis à quodam apud exteros traductum eſſe, qui tamen mox acceſſit imploraturus ejus auxilium. Nec tamen indecorè ſe geſſit: immò parum hoc referre dixit: ſe enim benefactorum potiùs, quàm vanè dictorum memorem eſſe. *Panor. l. 1. de reb. geſt. Alphonſi.*

Ludovicus XII. Gallorum rex Lugduni, vivente Carolo VIII. rege, deprehenſus à quibuſdam aulicis, multis verborum contumeliis vexatus eſt: Carolo mortuo, propter Ludovici ad regnum receptionem turbati aufugerunt: ſed ille abſentes ſua ſponte revocavit, priſtinæque reſtituit dignitati, dicens, Privati perſonam exui: Rex conſtitutus, hæc maledicta non curo, neque ulciſci decrevi. *Anna. Franc.*

Alexander cum Hammonis in templum veniſſet, interrogavit ſacerdotem ſenem, à quo filius appellatus erat, num quis eorum ſupereſſet, qui patrem Philippum interfeciſſent? Oſtendit hoc dicto rex potentiſſimus, inſitam, & fixam animo ſuo ultionem, quam parabat erga eos, qui Philippum patrem offendiſſent. *Plut. in vita.*

M. Brutus rebus in ſummam deſperationem adductis, cùm è ducibus, atque amicis paucos apud ſe haberet, ſublatis oculis in cœlum ſtellis plenum, dixit hunc verſiculum Græcum è tragœdia quapiam:

> Ζεῦ, μὴ λάθοι σὲ τῶνδ᾽ ὃς αἴτιος κακῶν.
> *Nec te latuerit, ò ſupreme Jupiter,*
> *Horum malorum quiſquis auctor extitit.*

Velut imprecans Cæſari vindictam à Diis. *Eraſ. lib. 4. apoph.*

C. Figulus in petitione conſulatus repulſam paſſus eſt. Ideò graviùs tulit, quòd patrem haberet bis conſulem. Ad hunc cum poſtridiè comitiorum complures veniſſent conſulendi gratia (nam erat juris civilis peritiſſimus) omnes dimiſit, ita præfatus. Omnes conſulere ſcitis, conſulem facere neſcitis. *Eraſm. lib. 6. apoph.*

Hadrianus Imperator Severianum, & Fuſcum hujus nepotem, eo quòd moleſtè ferrè videretur, Commodum Lucium imperii ſucceſſorem deſignatum, juſſit occidi: quorum ille nonagenarius erat, hic annos natus decem, & octo. Senex autem cum eſſet jugulandus, popoſcit ignem, incenſoque thure, dixit: Vos dii teſtor, me nihil ſceleris commiſiſſe: nec aliud imprecor Hadriano, niſi ut cum volet mori, non poſſit. Idque evenit, adeò ut barbarus conductus, qui ferro mortem pro beneficio daret, aufugerit. *Suet. in vita Hadriani.*

Theodosius aliquando ex familiaribus cuidam dicenti, Neminem illorum ab eo morte mulctatorum eſſe, qui injurii ei fuiſſent, reſpondit, Utinam enim eos in vitam revocare poſſem, qui jamdudum mortui ſunt. *Niceph. Calliſt. l. 14. Eccl. hiſt. c. 3.*

Macarius Ægyptius monachus, vir omnium ſanctiſſimus olim habitus, percontatus, cur humanarum injuriarum memoria hominibus adeò moleſta eſſet, diabolicarum autem contumeliarum recordatio non item. Propterea, inquit, quod prior illa affectio præter naturam, poſterior autem ſecundùm iræ naturam eſſet. *Idem ex Evagrio lib. 1. cap. 43.*

☞ *Vide plura in Loco de Vindicta.*

* Umbra.

* Definitio, & Etymologia.

Umbra ἀποσκίασμα Græcè, aer carens ſole, quod fit alicujus corporis, ac præſertim nubium objectu. Communiter tamen umbram accipimus imaginem rei cujuſvis ſolidioris, per radios ſolares lateraliter diffuſos, propter eorumdem imbecillitatem, vel ſplendoris impedimentum, in corpus vicinum projectum. Unde & cum ipſo Sole velut moveri, creſcere, ac decreſcere videtur. Sic *Ovidius*.

> *Utque comes radios per Solis euntibus umbra eſt.*

Lib. Triſtium. 1.

Hinc umbra veteribus dicebatur, qui non invitatus convivio ſe ingerebat, & alteri vocato ad illud ſe comitem præbebat. Hi à Græcis dicebantur ἐπίκλητοι, atque σκιαί. Comites Latinè, umbræ verò Apulejo, quod convivas ut umbræ corpora ſequantur. *Horat. lib. 1. Epiſt. ad Torquatum.*

> *—— locus eſt & pluribus umbris.*

Et *lib. Sat. 8.*

> *—— cum Servilio Balatrone*
> *Vbidius, quos Mecœnas adduxerat umbras.*

Diſputat de his copioſè *Plut. lib. 7. Sympoſ. prob. 6.* & utramque partem argumentis communit, quantumque umbras adducere liceat, & quod earum munus ſit, definit.

Umbrarum Convivialium Origo.

Conſuetudinis hujus, qua umbræ in convivium adducuntur, originem Plutarchus in Socratem reiicit, qui Ariſtodemo perſuaſit, ut non invitatus ſecum iret ad Agathonis convivium: & quidem ridiculum, quid tum Ariſtodemo accidit. Nam cùm inter eundum is non ſentiret Socratem à tergo relictum, prior ingreſſus eſt, planè velut umbra corpus præcedens, lumine à tergo ſequente.

Poſterioribus autem temporibus in excipiendis hoſpitibus convivio, maximè principibus viris, neceſſe fuit, cùm ignoraretur, quinam eos ſequeretur, quoſve ii magni facerent, ipſi hoſpiti facultatem invitandi, quos illi commodum eſſet, permitti, certo tamen conſtituto, atque definito convivarum numero: ne id ei uſu veniat, quod aliquando Philippum Regem ruri invitanti accidit. Venit namque rex ad cœnam multis comi-

comitantibus, non multis apparatam hominibus. Itaque cùm vidiſſet hoſpitem valdè anxium eſſe, & ſollicitum, cùm non ſatis alimentorum eſſe videretur, quæ tantæ hominum multitudini ſufficeret, hujuſmodi dolum commentus eſt. Circummiſit, qui amicos clàm moneret, ut locum placentæ relinquerent, cujus expectatione cùm illi cibis primò appoſitis parcius veſcerentur, cœna omnibus ſuffecit.

Hujuſmodi porrò invitationis exemplum habes *apud Cic. in Verr.3.* Nam cùm Philodamus Lampſacenus Rubrium in domum ſuam recepiſſet, & magnificè, & ornatè convivium comparaſſet, rogat Rubrium, ut quos ei commodum ſit, invitet: Locum ſibi ſoli, ſi videatur, relinquat: ut etiam filium ſuum lectiſſimum adoleſcentem ad propinquum ſuum quendam mitteret ad cœnam.

UMBRARUM SOLARIUM USUS.

Veteres olim, ut hodiè Ruſtici; umbris notabant diei horas. Unde *Perſius* deſidem adoleſcentem redarguit, quod ſterteret in multam lucem;

—— quinta dum linea tangitur umbra.

Et veſperam deſcribens *Virg. in Bucolicis*, ait:

Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

Lucianus in Gallo dicit, quod aſſiduè obſervarent, quot pedes haberet linea.

Idem ſcribit ſolitos, qui quempiam ad cœnam invitabant, deſignare ad quam umbram ſolarii vellent adeſſe convivas: Item illos, qui vocabantur, ſolitos rogare ad quotam lineam veniendum eſſet, ne tempus cœnæ prævenirent. *Vide apud Athen. l.1.c.3.* De Eubulo comico hoc modò ad cœnam vocato. Immò & Græci horam cœnæ σκιὰν, & ϛοιχεῖον δεκάπουν appellabant.

UMBRATILIS HOROLOGII INVENTIO.

Horologii umbratilis, ſive ſcioterici inventionem *Diogenes Laert.* tribuit Anaximandro.

Plinius verò illius magiſtro Anaximeni Mileſio.

Verùm multò antiquiorem illius uſum conſtat ex S. Litteris, ubi legimus ægrotante Ezechia Rege ſolem receſſiſſe 10. lineis in horologio Achaz, quod fuit annis 200. antè Anaximenem: unde non eſt facilè definire, qui illius uſum invenerit, ut quem non eſt veriſimile ignotum fuiſſe primis illis ſæculis, quibus longè majora induſtriæ ſuæ teſtimonia homines exhibebant, quàm ſi per umbram tempora dimenſi fuiſſent.

Certè apud Sinas, ſive Sinenſes hunc etiam umbrarum uſum multis ſæculis extitiſſe perhibent, qui gentis mores deſcripſerunt.

UMBRACULA.

☞ *Vide in Loco de Luxuria ſub finem. Titul. Luxuriæ χρῆσις objecto conſiderato reſpectu corporis, cui offertur. §. Auferunt ingrata, noxia, &c.*

* Unctio.

Definitio, & Etymologia.

UNCTIO χρῖσις Græcè, vel ἄλειμμα, Hebraicè *Miſchchab* Unde *Maſchiach*. Meſſias, unctio, eſt nomem verbale ab ungo, eſtque ipſe actus ungendi. Ungere verò eſt oleo, vel unguento illinere, dictum ab eo, quòd uniat, aut unum agat ſecundùm *Priſcian.* ungendo enim unitur, ac copulatur caro. Apud Scriptores Eccleſiaſticos unctio ſignificat Spiritum ſanctum, qui proindè dicitur Spiritalis unctio, & in *Act. Apoſt. cap.* 10. dicitur Jesus unctus à Deo Spiritu ſancto, vel ut ipſo ungi indicetur Chriſti humanitas, aut per Incarnationem, aut per gratiam cum ea infuſam, ut exponit Lorinus, aut denique per ſigna viſibilia in baptiſmo ejus oſtenſa. Quæ enim gratiæ ſunt, aſſignantur Spiritui ſancto.

UNCTIO OLIM, ATQUE ETIAM HODIE Usitata, Utputa

☞ *In Lapidibus, Titulis, Altarium, Vaſorum ſacrorum Templorum dedicatione, conſecratione. Vide in Locis earumdem rerum particularibus, ubi de illius uſu, & ſignificatione agitur. Item in loco de Benedictione, Conſecratione, &c.*

ETIAM ADHIBITA CIRCA HOMINES, Ac primum Sacerdotes.

Præcepit Deus *Exod.* 29. certum ritum ungendi Sacerdotes, qui completus deſcribitur *cap.8. Levitici*, ubi Moyſes conſecravit Aaronem fundendo in illum unguentum, quod erat compoſitum ex myrrha, cynnamomo, caſia, & oleo olivarum. Ut conſtat *Exod.30. verſ.23. & 30.*

Unctio autem minorum Sacerdotum, & communis etiam ipſius Pontificis, erat aſperſio ſanguinis miſti unguento ſuper eos, & veſtes eorum: ad hæc unctio manus dextræ, & pollicum. *Exod. c.29.*

Igitur effuſio unguenti odoriferi propria erat Pontificis, ad denotandum gratiæ plenitudinem, ſpiritus, & poteſtatis abundantiam: item monebat Pontificem miſericordiæ, cujus ſymbolum eſt oleum, charitatis, atque aliarum virtutum. Lux gregis, inquit Gregorius; eſt flamma paſtoris.

Atque hæc uncto fiebat ſeptem diebus, ut ita novelli ſacerdotes diſcerent renunciare terrenis, & cum Deo verſari in tabernaculo. Item cum ſeptem dies ſint omnes dies ſeptimanæ, ſignificabatur, quod tota vita durante Deo deberent manere conſecrati. Ita *Cyril. lib.2. de Adorat.* ſeptem diebus inquit, id eſt, ſemper, & perpetuò.

Sic & in nova lege Epiſcopi in ſua conſecratione unguntur in capite per conſecrantem ſacro Chriſmate primum in modum Crucis per totam coronam, tum ipſam integrè illinendo, addita hac verborum formula: Ungatur, & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione, in ordine Pontificali, ſubiicitur deinde à conſecrante in perſona Eccleſiæ, oratio, & votum, in quo myſtica unctionis ſignificatio in illo, qui ita unctus eſt, impleri petitur. Deinde unguntur manus ſub hac formula: Ungantur manus iſtæ de oleo ſanctificato, & Chriſmate ſanctificationis, ſicut unxit Samuel David regem, & Prophetam. Ita ungantur & conſecrentur. In nomine Patris, &c.

Sacerdotum etiam manus ſimiliter inunguntur in ordinatione in modum crucis, producente Pontifice ordinante cum pollice dextro ex oleo cathecumenorum duas lineas, videlicet à pollice dextræ manus ordinandi uſque ad indicem ſiniſtræ, & à pollice ſiniſtræ uſque ad indicem dextræ, ungendo mox palmas totaliter, & dicendo, Conſecrare & ſanctificare digneris, Domine, manus iſtas per iſtam unctionem, & noſtram benedictionem: ut quæcumque benedixerint, benedicantur: & quæcumque conſecraverint, conſecrentur, & ſanctificentur, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Ex Pontificali Romano.*

PROPHETAS.

Præcepit Deus Eliæ, ut pergeret in Damaſcum, & Helizæum filium Saphat ungeret prophetam pro ſe. Qui ſurrexit, & ivit, invenitque Helizæum arantem in duodecim jugis boum, cùmque veniſſet ad eum, miſit pallium ſuum ſuper illum, qui ſtatim relictis bobus cucurrit poſt eum. *3. Reg.19. verſ. 16. & 20.*

REGES.

Juſſit Deus per Samuelem Prophetam ungi Saulem in Regem, qui juxta verbum Domini tulit lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus, & deoſculatus eum ait: Ecce unxit te Dominus ſuper hæreditatem tuam in principem, &c. 1. *Reg. c.*10.

Idem Samuel miſſus à Domino ad Iſai, ut Davidem filium ejus natu minimum in regem ungeret ſuper Iſrael. Qui cùm veniſſet ex agro, paſcebat enim oves patris ſui: ait ad Samuelem Dominus, Surge, & unge illum, ipſe eſt. Tulit is ergo cornu olei, & unxit eum in medio fratrum ejus, & directus eſt Spiritus Domini à die illa in David. *Ibid. c.16.*

Etiam Eliæ in Damaſcum abeunti Deus mandavit ungere in Regem ſuper Iſrael, Jehu filium Namſi; & ſuper Syriam Hazaelem. *3. Reg. cap.19. verſ.16.* oleum autem, quo Reges olim ungebantur, erat tantùm vulgare.

In ſolemni quoque Regum coronatione hodiè obſervatur, ut electus Rex ungatur à Metropolitano cum benedicente, oleo cathecumenorum in modum Crucis, in brachio dextro inter juncturas manuum, & juncturam cubiti, atque inter ſcapulas addita oratione, qua eidem ita uncto inviſibilis gratiæ, & donorum cœleſtium infuſio vovetur, utque eam conſequatur, à Deo petitur. *Ex eodem Pontificali.*

INFIRMOS.

Conſtat *Marci cap.6.* Apoſtolos unxiſſe infirmos oleo, eoſque curaſſe, neque tantùm ægritudine aliqua, ſive morbo laborantes, ſed quoſcunque defectum in corpore habentes, utputà cæcos, claudos, & ſimiles, quod certè à Chriſto juſſi erant facere, & referebatur duntaxat, aut præcipuè ad curationem morbi corporalis. Unde ſanabantur omnes, qui tunc inungebantur. Unde non eſt hæc unctio eadem cum illa, cujus meminit *Jacob. in Epiſt. cap.* 5. De qua ſtatim, & infrà uberius.

Etiam ex inſtitutione Chriſti præcipitur infirmis per Apoſtolum Jacobum, ut inducant ad ſe presbyteros Eccleſiæ, qui orent ſuper eos, ungentes eos oleo in nomine Domini. *cap.* 5. Sed de hac unctione loco proximo agemus.

MOR-

MORTUOS.

Memorat Scriptura *Geneſ. c.50.* Joſeph Patriarcham præcepiſſe medicis, ut condirent aromatibus corpus defuncti Patris. Idem fratres illi etiam defuncto obſequium præſtiterunt, ut quibus mandavit oſſa ſua deferrent ſecum in Chanaam. Condiebantur autem cadavera balſamo, myrrha, aliiſque aromatibus, quæ cadavera à putrefactione conſervant, & bonum odorem conciliant. Fuere in hac conditura ſingulares Ægyptii, quòd & Caromomia teſtantur etiam hodiè, id eſt, cadavera ante ſæcula aliquot ſepulta, quæ nunc eruuntur, eorumque uſus eſt in læſionibus internis, morem autem conditurræ Ægyptiorum tradit *Herod. lib.3. & Diod. lib.1.*

Obſervant tamen Scriptores, non ſolùm uncta fuiſſe cadavera, quando terræ mandabantur, ſed etiam quando igne comburebantur.

MORTUOS QUI UNXERINT, Ac Illius origo.

Dimanaſſe autem hunc morem ungendi cadavera ab Ægyptiis conſtat, qui mortuorum ſuorum cadavera domi reſervabant, teſte *Cicer. 1. Tuſcul.*

Immò menſis adhibebant tanquam convivas. Unde *Sil. Ital. lib. 12.*

—— Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat umbram.

Quin parentum cadavera nonnunquam hoc modo medicata, pignoris loco creditoribus deponebant, teſte *Luciano lib. de Luctu.* Et eum, qui pignus illud non ſolveret, maximam infamiam manſiſſe, & ſepulturæ carentiam. *Diod. lib.* 1. refert.

Judæis itaque uſitata etiam hæc unctio. Exemplis Jacob, & Joſeph id docetur, *Geneſ.* 5. Item exemplo Chriſti, qui & vivus, & mortuus unctus fuit; quin Magdalenam unguentum effundentem in ipſum laudat ab operis pietate, addens, Ad ſepeliendum me fecit. *Matth.26.*

Ab his ad Romanos hic ritus defluxit, qui in funeratione unguenta adhibere ſoliti. Id, quod ex *Perſio* liquet, funus divitis deſcribente.

—— tandemque beatulus alto
Compoſitus lecto, craſſiſque litatus amomis, &c.

Unde apud eos erant Pollinctores, qui huic muneri vacabant: dicti à priſco Polingo, quaſi poliens ungo: ungo autem curare eſt, & colere.

Denique ad Chriſtianos pervenit idem mos ungendi, & condiendi corpora mortuorum, meminit illius *Tert. 42. Apol. & lib. de Reſurrect. carnis. Clemens Alex. l.11. Pædag. cap.* 8.

Minutius Foelix Octavio inter crimina Chriſtianis objecta illud quoque memorat: Non floribus caput nectitis, non corpus odoribus honeſtatis: reſervatis unguenta funeribus.

MODUS VARIUS.

Cæterùm non eodem modo omnes cadavera condiebant, neque eodem, ſive unguento, ſive genere conditurræ. Alii Sale Nitro, Cedro: alii Aſphalto, Melle, Cera, Myrrha, Balſamo: Alii Gypſo, vel Calce ea perfundebant. De ſingulis extant veterum teſtimonia.

De Sale *Plin. l.31. c.19.* Salis, inquit, natura eſt per ſe ignea, & inimica ignibus fugiens eos, omnia erodens, corpora verò aſtringens, ſiccans, alligans: defuncta etiam à putreſcendo vindicans, ut durent ita per ſæcula.

Et Eunapius ſalita martyrum corpora irridet. *De vitis Philoſ.*

Nitrum etiam, *teſt. Herod. l.*11. carnes ita tabefacit, ut mortui tantùm cutis, & oſſa relinquantur τὰς σάρκας τὸ νίτρον κατατήκει καὶ δὴ λείπεται τοῦ νεκροῦ τὸ δέρμα μόνον καὶ τὰ ὀϛέα.

De Cedro iterùm *Plin. l.24. c.5.* Cedrus magna, quam Cedretalem vocant, dat picem, quæ Cedria vocatur. Defuncta corpora incorrupta ævis ſervat, viventia corrumpit; mira differentia, cum vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit.

Aſphalto autem, hoc eſt bitumine, quod in mari Sodomæorum legitur, Ægyptios uſos tradit. *Strabo lib.16.*

Maximè verò ob hanc virtutem Mel commendatur, de quo *Plin. lib.22. c.24.* Mellis quidem, inquit, natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat, jucundo ſapore, atque non aſpero alia, quàm ſalis natura.

Atque ideò Democritum mortuos in melle ſervandos ſtatuiſſe, auctor *Varro.*

Babylonios hoc ſitu cadavera ſua condidiſſe, memoriæ prodidit *Herod. lib.* 1.

Alexandrum Magnum hoc modò conditum præter alios, pleroſque Hiſtoricos etiam indicat *Stat. lib.3. Syl. in Prompt. Metii Clericis.*

Duc & ad Emathios manes, ubi belliger urbis
Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.

Idipſum de Hippocentauro, qui Claudio Cæſari allatus fuit ex Ægypto, narrat *Plin. ſuprà, & Athen. lib.2.*

Ageſipolin quoque Spartiaten, cum è Macedonia cum exercitu rediret in vicinis Olynthi oppidi locis gravi morbo correptum, mortuumque ſeptima die in melle conditum, Lacedæmonem eſſe reportatum, atque regia ſepultura ornatum, auctor eſt *Xenophon. lib. de reb. geſt. Græcor.*

Ab hoc ritu non multùm abit Perſarum conſuetudo, qui Cera mortuos oblinebant. *Herod. lib.1.* Κατακηρώσαντες δὴ ὦν τὸν νεκρὸν πέρσαι, γῇ κρύπτουσι.

Quod & affirmat *Cicero 1. Tuſculan.* Perſæ jam Cera circumlitos condiunt, ut quam maximè permaneant diuturna corpora.

Et Strabo lib.15. Θάπτουσι δὲ κηρῷ περιπλάσσοντες τὰ σώματα. Idipſum Scythis tribuit. *Herodot. lib.4.*

De Ageſilao ſic loquitur *Æmilius Procus*: Ibi cum amici, quò Spartam facilius proferre poſſent, quod mel non habebant, cera circumfuderunt, atque ita domum retulerunt.

Myrrha etiam corpora mortuorum condita fuiſſe, ne putreſcerent, tradit *Philo Carpathiorum Epiſc. in Cantica.*

Meminit & *Prudentius in Cathen. hymno de defunctis.*

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.

De Balſamis *Corippus lib.3.* de funere Juſtiniani Imperatoris.

Thura Sabæa cremant, fragrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco,
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira feruntur,
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

Inſcriptio Hiſpanica: MATER AD LUCTUM, ET GEMITUM RELICTA EUM LACHRYMIS, ET OPOBALSALMO UDUM HOC SEPULCHRO CONDIDIT. *Vide Arnob. lib.* 5.

Hypſo, Æthiopes induxiſſe ſuos mortuos jam arefactos, teſtis eſt. *Herodot. lib.3.*

Calcis quoque uſum huic ſibi non ineptum fuiſſe exiſtimat Vvelſerus. Nam ſive caro tabefacienda, calcis vivæ mordax, & cauſtica vis eſt, *teſte Dioſc. lib.5. cap.91.* ſive cadavera alioquin exſiccanda, calcem ſæpiùs aqua lotam valdè ſiccare, abſque ulla mordacitate tradit *Galenus lib.9. de ſimp. medic. facult.*

Sic S. Afræ corpus ab Embricone Epiſcopo repertum quondam candidiſſimo cæmento obductum fuiſſe, memoriæ proditum eſt.

Et corpus D. Thomæ Apoſtoli ferè eodem modò conditum Melianiore in Coromandelio littore ſub Joanne III. Luſitaniæ rege inventum eſſe, auctor *Maffæus in Judicis lib.8.* ſcilicet immiſta calci, & arenæ candidiſſima ſpecie oſſa: appoſita lanceæ cuſpide, & viatorii baculi fruſto, atque vaſe fictili. Refert *Joan. Kirchman. l.3. c.5. de funer. Rom.*

CONVIVANTES.

Ut putà

Ante Convivium uncti.

Fuit mos apud antiquos, ut antè cœnam balnea intrarent, & abluerentur, qua facta ablutione corpus ungebant, meminit utriuſque ritus Homerus frequenter admodùm, unde & Homericæ unctiones dictæ, quæ poſterioribus temporibus poſt exercitia quoque adhiberi ſolitæ.

Intrabant autem Romani in balneum ſudatorium, priuſquam accumberent, ibique ungebantur, quod à Græcis hauſerunt, apud quos tamen Socrates in Xenophontis convivio illum morem reprehendit.

IN CONVIVIIS.

Unctionis in Conviviis uſitatæ apud Hebræos multa exempla dantur, facit huc illa caſtigatio per *Amos* facta, Bibebant vinum in phialis optimo unguento delibutis, &c. *c.* 6. Quoties eum honoratiore convivio excipiebant, eaſdem perfundebant balſamo, & aliis odoramentis. Unde in luctu prohibetur olei uſus. Etiam *Ezechiel* verba faciens de epulis, thymiamatis meminit, & unguentorum, *c.* 23.

Hinc Magdalena attulit alabaſtrum unguenti piſtici, ſive

ex